DE

ECAE NATURALIUM QUAESTIONUM

LEIDENSI VOSS. ET LOCIS ILLORUM LIBRORUM
A VINCENTIO BELLOV. EXCERPTIS.
(PART. I.)

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN UNIVERSITATE LITERARUM VIADRINA
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT
ET
UNA CUM THESIBUS
DIE VIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXV.
HORA X.
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

BRUNO LARISCH,
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
O. BUCHWALD, C. KONITZER, C. MAYHOFF,
PHILOS. DOCTORES.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.
[1865]

FRIDERICO HAASIO

SACRUM.

Senecae philosophi libri, quum antiquitus studiose lectitarentur, interpolationibus corruptelisque multis ac gravibus foedati a librariis medii aevi fidem historicam ignorantibus transierunt ad restauratores antiquitatis. Nec multorum editorum cura maculae satis extractae sunt, sed per longissimum tempus illi libri iacuerunt veteribus sordibus oppleti. Quibus detergendis primus C. R. Fickertus ingenti successu operam dedit; secutus est F. Haasius, e cuius ingeniosa tractatione illa scripta etiam aliquanto emendatiora prodierunt, ut iam peracta messe opima, qui nunc accesserit ad illos libros emendandos, spicilegium tantum facere poterit. Sed non in omnibus libris parem proventum habuit illorum virorum cura ac diligentia, quum in nonnullis non contigerit iis uti instrumentis criticis, quae sufficerent; maximeque id cadit in Ludum de morte Claudii, in scripta minora, quae Fickertus non edidit, in Naturales Quaestiones. In his igitur libris, quamquam ne reliqui quidem plane sunt redintegrati, arti criticae exercendae magnus adhuc campus patet. Nec defuerunt viri docti, qui hanc operam subirent. Atque ad Ludum in antiquissimam formam restituendum multum contulit Carolus Schenkl libello suo superiore anno edito, cui titulus est „Beitraege zur Kritik des L. Annaeus Seneca. Wien, 1864." Idem in eodem libello tractavit subditicium librum de moribus ratione habita eorum, quae ante eum E. Woelfflinus in Philol. v. VIII, pg. 184 sqq. et v. VIIII, pg. 680 sqq. de hoc libro disseruit.

Deinde Martini Dumiensis librum de formula honestae vitae et epistolas, quae feruntur Senecae ad Paulum apostolum, ipse Haasius in editione sua denuo hoc anno impressa paene nova facie indutas in medium promisit. Is autem ad Naturales quoque Quaestiones animadversiones promulgavit in commentatione indici lectionum Univ. lit. Vrat. a. 1859|60 praemissa, qua, postquam de fatis libri de remediis fortuitorum disputavit, Vincentii maxime Bellovacensis auxilio illorum librorum verum numerum et ordinem restituit simulque quosdam locos emendavit. Qua re spem quamvis exiguam aperuit adiutum iri correctorem Naturalium Quaestionum locis a Vincentio e bono codice excerptis. Et quoniam non parvam antiquarum literarum studiis utilitatem afferre videntur, qui illis libris vel emendandis vel explicandis operam tribuunt; conquisivi locos Vincentii et contuli cum exemplo Haasii. Deinde etiam alia auxilia quaerenti mihi intercedente, qua candet humanitate, viro ill. Haasio contigit codice Leidensi Vossiano 69 uti, ex quo in Philol. v. VIII, pg. 445—460 et v. VIIII, pg. 324—345 Michaelis (is autem de aliis quoque Senecae scriptis in iisdem commentariis iam antea egit instituitque editiones quorundam illius librorum) lectiones quasdam publici iuris fecit. Quo codice collato iam poterit iudicium fieri aliquanto certius de Vincentii locis nec dubium est, quin Naturales Quaestiones propius ad integritatem perduci possint; quamquam hac quoque opera absoluta satis multi loci restabunt, de quibus iure dubitetur disputeturque in contrarias partes, et necessarium erit quum codicem Berolinensem (E) aliquot locis iterum inspicere tum codicem Wirceburgensem accuratius tractare, cuius lectiones passim commemoravit Ludovicus Janus in Seebodii Annalibus Philol. v. XXXI, 1, pg. 261 sqq. (cf. Fickerti ed. III, pg. VI. extr.), quique, Bambergensi melior, simillimus videtur esse praestantissimo codici Berolinensi,[1]) et excutere codicem, qui asservatur Pragae

[1]) L. Janus l. c. pg. 252 haec dicit: dass (sc. in der auf der Würzburger Universitäts - Bibliothek befindlichen Handschrift) die Naturales Quaestiones, wie in einigen [sic!] anderen Handschriften,

in bibliotheca conventus canonicorum episcopi principis [Metropolitancapitel], de quo quaedam dixit Schenkl in libello illo supra commemorato (pg. 32); aliique codices sunt indagandi, quorum praesidio fortasse continget locos depravatos restituere, quorum adhuc non est reperta certa medela. Sed interim acquiescendum mihi quidem est in codice Leidensi et locis Vincentii, de quibus agere hoc libello mihi proposui.

Atque tripartita haec mea disputatio instituenda videtur. Prima pars continebit descriptionem et aestimationem et codicis et Vincentii locorum; in altera scripturae ex utroque cum Haasii exemplo collato excerptae proponentur; in tertia agendum est de iis locis, quibus iam nunc codex Leidensis et Vincentii lectiones usui esse videantur.

Antequam autem ad propositum aggrediar, breviter exponendum est, cur de eodem codice, de quo Michaelis locis supra indicatis dixit, ego quoque disputem. Habet sua merita Michaelis; nam si decedas ab iis locis, ubi cum Haasio ei res est, quocum pugnans adverso plerumque Marte uti videtur, nonnullas coniecturas communicavit non malas, quarum unam confirmatam inveni Vincentii testimonio, III, 16, 3 [Haasii numeris utor]: *tam solstitium quam aequinoctium suus dies retulit;* alios locos secutus codicem Vossianum aut emendavit aut emendare sibi visus est, qua re effecit, ut aliquid sperari posset auxilii Naturalium Quaestionum crisi illo codice allatum iri. Sed, quae omisit facere quaeque parum recte fecit, talia sunt, ut satius visum sit eandem rem retractare. Nam iudicium suum de codice Vossiano in brevissimum coactum et parum definitum (Philol. v. VIII, pg. 445 med.: „noster quidem Vossianus . . . id attulit commodi, ut illorum codicum Ee scripturas, nonnumquam probabiliores, sed plurium idoneorum testium penuria non in textum receptas, restituendas esse confirmaret: neque raro aut

z. B. der 2. Berliner, in 8 Bücher eingetheilt sind, indem die 2 ersten Kapitel des 4. Buches, welche in der Bamberger Handschrift nebst einem Theile des vorhergehenden Buches ganz fehlen, als 8. Buch an den Schluss gesetzt sind, quibuscum cf. Fickert. v. III. pg. VII.

solus aut cum paucis aliis meliores exhibuit lectiones, quam hactenus in Codicibus aut Editionibus erant praesto") vir ille doctus non stabilivit argumentis neque certam aliquam regulam criticam proposuit; de locis satis multis disputavit argumentis usus parum firmis; aliquot locos, qui praeter ceteros digni sunt, qui tractentur, plane neglexit. Collato autem codice intellexi lectiones quasdam illum perperam notavisse (IIII, 4, 3, Mich. legi dicit *ut suum coelum* pro *aut s. c.*; II, 5, 2 *et* ante *omnium*, quamquam abest; c. 6, 6 *virentem* pro *viridem;* III, praef., 14. *in animum* pro *in animo;* quin etiam lectionem codicis Leidensis pro sua coniectura profert III, 27, 3: *multas simul fata causas movent,*) Haasii aliorumque coniecturas codice confirmatas, quamquam id sibi proposuerat, non omnes enumerasse; in emendandis locis suam potius libidinem secutum esse, quam certas regulas, quare nonnullas emendationes satis certas praetermisit, complures locos sine causa idonea mutavit; denique quasdam res graves dignissimasque memoratu neglexisse (e. g. cf. huius commentationis I, §§. 10, 29, 41 med.).

I.

Descriptio et aestimatio codicis Leidensis et Vincentii lectionum.

1. Ordiamur a codice Leidensi, quem L litera significare placet. Signum ei inditum est hoc: M. S. Lat. Voss. Fol. 69. Forma est, quae vocatur in folio. Constat autem 105 foliis membraneis. Scriptus Haasio iudice est seculo XIII. fere exeunte. Folia primum, secundum, ultimum adiecta sunt libro iam scripto, reliqua distributa sunt in tredecim fasciculos octonum foliorum; ultimus vero fasciculus sex tantum habet folia. Singulae paginae habent binas columnas, singulae columnae quinquagenas quaternas lineas. Scriptus est codex nitide literis minutis. Initiales plerumque sunt coloribus pictae, saepe omissae, non raro

recentiore manu suppletae. Compendiis scripturae librarius non ita multis nec difficilibus usus est: totum autem volumen unus librarius scripsit. Primae et ultimae singulorum fasciculorum paginae fere sunt asperae ita, ut nonnumquam rasurae non facile agnoscantur.

2. Primae paginae inscriptum est hoc: *Commelini est vocoque non^c II.* (nonagesimus alter?); infra quod legitur eadem manu scriptum: *Jani Gru teri liber est, non bibliothecae Palatini* (quae a. 1622 Romam translata est). In quo mirum est, quod eadem manu et Commelini et Gruteri nomen scriptum videtur. Deinde in secunda pagina legitur nomen *Bouchier*, in tertia extrema literis inversis manu seculi XV. vel XVI. (Haas.) scriptum: *Maistre pierre Loustouer cancus vencoen.* Tertia pagina praeterea continet scriptum aliquod vetustius reliquo codice, quod epistola esse videtur, sed quod, quoniam nimis evanuit, non potest legi. Quarta pagina continet indicem librorum, qui in codice insunt, manu (ut Haasio visum est) seculi XV. scriptum: *Plures libri senece in isto volumine continentur.* | *Declamationes senece* | *Seneca de beneficiis continens VIItem libros* | *Seneca de clemencia et sunt duo librj* || *Seneca de paupertate* | *Seneca de moribus* (recentior manus, fortasse Commelini vel eiusdem, qui Commelini et Gruteri nomina scripsit, adiecit: *sunt fere, quae habentur in Syri carminibus*) | *Seneca de remediis infortuitorum* (sic!) *ad gallionem* | *Seneca de quatuor virtutibus* (recentior manus adiecit: *restant adhuc plures*) | *Seneca de naturalibus quaestionibus* | *Epistole Senece ad paulum* | *Epistole Senece ad lucillum.* Folium 104. habet in priore pagina inscriptionem hanc: *Iste liber fuit de libris magistri andree figuli deputatus pro* | *libraria ecclesie andegauensis* | *qui magister andreas erat in utroque* | *iure licen*(tiatus) *ipsius ecclesie cantor et* | *canonicus et decessit a seculo* | *die prima maij anno dominj M°CCCCXXII° anima eius in pace* | *requiescat Amen.* (Compendia scripturae neque in illo indice neque in hac inscriptione reddidi.) Alteri huius folii paginae inscriptum est praeceptum medicum. Fol. 105. vacat.

3. De fatis libri multa dici nequeunt. Sec. XV. ineunte in Francogallia fuit. Nam Andegavi episcopatus est in Francogalliae provincia Anjou et voca-

tur hodie Angers; idem demonstrat nomen Bouchier et inscriptio tertiae paginae, quamquam, quid statuendum sit de adiectivo *vencoensis*, nondum scio. Deinde Commelinum et Gruterum possedisse librum ipsa primae paginae inscriptio docet. Tum Vossius eum habuit et nunc est in bibliotheca universitatis Leidensis. In editionibus instituendis hic codex non videtur adhibitus esse.

4. Declamationes illae sunt excerpta declamationum M. Senecae rhetoris. Neque libri de beneficiis et de clementia integri sunt et videtur L in his congruere cum codicibus deterioris notae, quos Fickertus significat literis CEa, in illis cum Cg. Epistolae sunt 88 priores, in quibus qualis esset L, non vacavit mihi accuratius quaerere; sed ne his quidem magnam ex cod. L utilitatem accessuram mihi persuasi. Multo autem pluris faciendus est cod. L in scriptis minoribus, quae continet. In libro de moribus saepe et mirum in modum congruit cum duobus Sangallensibus, quorum scripturas proposuit Schenkl in libro supra commemorato pg. 39 sqq. Sed haec hactenus.

5. Naturales Quaestiones continentur foliis 26, una columna, quatuor lineis. Inscriptio praemissa est haec: ***Incipit seneca de naturalibus quaestionibus.*** Subscriptio autem nulla exstat, quamquam aliqua fuisse videtur; nam infra ultimam lineam satis ampla rasura est. Vocum scribendarum ratio fere eadem est, quae reperiri solet in recentioribus libris mss. Quare supervacaneum arbitror eam totam describere; quaedam vero hic ponam, quae memoratu digna videntur. Nomina igitur propria et vocabula graeca mendis nec frequentius nec fere gravius quam in codice Berolinensi corrupta sunt. Diphthongi *ae* et *oe* exprimuntur per ę vel *e*, per *e* tamen rarius. Plerumque legitur ***dii, diis,*** nonnumquam ***hę*** pro ***hae***, ***hii*** pro ***hi***, ***idem*** pro ***iidem***. ***H*** litera saepe omissa est, saepe abundat, quod nonnumquam molestum est, velut IIII., 4, 1 ***hos*** (pro ***os***); VI, 1, 14; VII, 13, 2 ***hora;*** VI, 13, 3 ***habit.*** ***Extimare*** semper est pro ***aestimare.*** ***Totiens*** et ***quotiens*** scripta fuerant ***toties*** et ***quoties***, correcta autem sunt addita supra *e* lineola; sed remansit ***toties*** III,

3, 5 et *quotiens* prima manu est II, 34, 3. Voces praefixis praepositionibus compositae consonantium assimilationem, quam vocant, constanter passae sunt. Nonnumquam voces compositae discerptae sunt, ut: *quam diu; inter est; at qui; non dum; pro ut*; rursus saepius voces secernendae in unam sunt conflatae.

6. Vestigia vetustioris scribendi rationis comparent in his: IIII, 13, 3 *optineat;* I, 17, 6 *aere,* ib. § 10 *sarcinae;* I, prol., 12 *contemnit* pro *comtempnit;* pro *actor* compluribus locis recte scriptum est *auctor;* consonantium assimilatio amplius viginti locis praetermissa est, velut: IIII, 4, 3 *admixtam;* cf. II, 38, 2 *ad fatum* pro *adfatum (= affatum);* semper legitur *disrumpere;* VI, 1, 9 *exspirem;* V, 17, 2 *subministrarent;* VI, 4, 1 *subrigit;* V, 18, 11 *inmerito;* VI, 6, 2 *in modice;* III, 28, 1, *in modicis* (pro *inmodicis*). Huc etiam illud pertinere videtur, quod saepe L *nec* exhibet consentiente plerumque codice omnium, quos nunc habemus, antiquissimo Bamberg. et codice G, ubi E praebet *neque;* hoc enim, compendio scriptum *n;*, facilius poterat oriri ex *nec,* quod tam facili compendio caret, quam *nec* ex *neque;* praeterea *nec*, siquidem recte de discrimine harum particularum disputat Handius in Turs. v. IIII, pg. 94, multis locis magis aptum potest videri ad Senecae ingenium dicendique genus, quod praeter alia hoc habet proprium, ut oratio concisa sit et sententiarum inter ipsas coniunctio particulis fere non expressa. Quare fortasse nonnumquam ex B et L *nec* pro *neque* recipiendum erit.

7. Jam ad res graviores transeuntes videamus, quomodo librarius se gesserit in describendis Naturalibus Quaestionibus. Ac primum in his libris ob diuturnitatem laboris, ut videtur, non tam diligenter operam suam factitavit, quam in declamationibus positis in initio codicis; quo factum est, ut saepe voces aut mendose scriberet aut omitteret vel singulas vel — id quod iis plerumque locis accidit, ubi eadem vox nonnullis aliis interpositis repetebatur — plures; et maxime id cadit in extremam horum librorum partem. Atque nonnullos horum errorum librarius statim animadversos statim correxit. Reliqua vero, quae peccaverat,

descripto, opinor, toto codice sanare studuit, in quo hanc fere rationem videtur secutus esse. Contulit apographum cum exemplo, unde descripserat, et ea menda, quae facilius tolli poterant, additas dico abundanter literas et perperam scriptas, statim correxit, illas puncto supponendo vel litera abradenda (veluti II, 34, 2. extr. fuerat *quantum ad hoc*, *pars est;* rasura factum est *par*; sed litera *s* non plane evanuit), has item punctis notando et probis literis super lineam ponendis; graviora vero vitia in contexta oratione ipsa signo, quod est = vel — quo rarius usus est — > indicavit tantum, emendationes autem adhibito eodem signo in margine posuit et, ubi plures voces exciderant, quae non poterant inter lineas restitui, has usus fere signis quibusdam in margine, plerumque aut supra aut infra columnam, supplevit. Denique, quae antea emendanda indicaverat, tunc emendavit; mendosa igitur abrasit, recta in eorum locum substituit, aut, si quam vocem omiserat, hanc supra lineam supplevit; emendationes vero, quas in margine posuerat, iam abrasit. Unde fere, ubi in contextu rasurae sunt, etiam in margine rasurae aut manifeste sunt aut esse videntur, quamquam saepius propter membranae asperitatem (cf. § 1 extr.) parum agnoscuntur. Hoc autem ita, ut exposui, factum esse argumentum est, quod quibusdam locis librarius oblitus est vocem in margine suppletam inde in contextum transferre, signum = autem utroque loco cernitur (ut IIII., 6, 2 *publice;* I., 5, 6 *inquit;* III, 5 *emisit*); quod nonnumquam sub ipsa rasura marginis agnoscuntur vestigia emendationis in contextu factae (ut V, 11, 1 *no.;* I, prol. 11 *spectator;* II, 32, 1 *astute*); quod signum = et in margine et supra vocem correctam plerumque si non integrum, at aliqua ex parte remansit vel fuisse manifestum est. — Quamquam autem librarius operam dabat, ut vitia tolleret, tamen quadam eius negligentia inter ipsum corrigendum novi errores orti sunt. Aliquando enim, dum vitiose scripta abradit recta substituturus, proximam quoque vocem delevit nec postea restituit, qua ratione permultis locis expediri potest, cur vocula aliqua exciderit; aliquando voci supra vel infra lituram positae aliquid abrasit; aliquando vocem, quae omissa erat, falso

loco restituit, veluti IIII, praef., 12 scribendum erat *quasi ille aliquid*; librarius omiserat *ille*, deinde supra initium sequentis vocis *aliquid* signum posuerat, restituit autem pronomen *ille* ante *quasi*, ut nunc legatur *ille quasi aliquid*.

8. Deinceps librarius accessit ad librorum notas in margine atramento ponendas, in quo bonum codicem, sed qui alius stirpis erat (cf. §§ 10 et 29 sqq), usurpavit. Atque hunc quoque codicem contulit cum eo, quem ipse scripserat, diversasque lectiones supra lineam notavit apposito signo (ł) vocis, quae est *vel*. Dubium autem mihi quidem non est, quin etiam illarum emendationum, quae punctis apponendis et literis supra scribendis factae sunt, nonnullae ex hac altera collatione profectae sint, quod quum ex atramenti colore, tum ex literarum forma cognoscere mihi visus sum. Sed tamen non distinxi has emendationes in variis lectionibus adnotandis, quoniam vix certi quidquam de punctis vel singulis literis, ut *i*, dici potest; quae vero supra scriptae sunt variae lectiones apposita nota ł, eae omnes ad secundam collationem referendae sunt. Nam, quamquam inspicientibus codicem manifestum est et contextum et omnes emendationes eadem manu scriptas esse, tamen aliqua literarum formae diversitas cernitur; nimirum quae diversis temporibus scripta sunt, specie inter se aliquo modo distant. Itaque, quae correcta sunt ex codice archetypo, paulum diversa sunt a reliquis, inter se similiora; idemque dicendem est de iis, quae ex altero codice correcta sunt, in quibus literarum forma eadem est atque in librorum notis atramento scriptis. Deinde emendationes illas librarium plerumque non de suo ingenio posuisse veri satis simile est; nam fere aut probae illae lectiones sunt aut in aliis quoque codicibus reperiuntur; tamen fortasse etiam ipse nonnumquam mutationes in ea, quae descripsit, intulit.

9. Quamvis autem corrigendi munere librarius satis diligenter functus sit, tamen nonnulla vitia remanserunt, quae non videntur in codice archetypo fuisse, sive ea librarius omnino non offendit, sive oblitus est corrigere, sive in ipso corrigendo negligenter versatus est. Cf. III, 11, 3, ubi *aquarum* omissum

est; ibid. ante *cursu* praepositio *a* excidit; c. 16, 2 legitur *detrahant,* reliqui codices praeter unum P_4 (*trahant*) omnes exhibent *retrahant* vel *retrahunt;* — VI, 31, 2 extr. sedem vocis *vis* rasura obtinet, in qua *s* literae et signi = reliquiae apparent; in margine rasura est; alia eiusdem generis videbis in var. lectt. VII, 20, 3 *expecta* (pro *exspectata*); VI, 18, 5 *in clauso est;* III, 11, 4 *dixisse;* 16, 2 *ad tempus;* — III, praef., 14 in rasura *beas* positum est pro *debeas* (cf. etiam § 41). Alius autem generis sunt ea in codice L parum recte scripta, quae hic cum aliis codicibus communia habet.

10. Restat hoc loco, ut de rubricis, quae dicuntur, disputem. In quo hoc iam nunc dicendum est, quod proprium locum in aestimatione codicis habebit, libros Naturalium Quaestionum in codice L ad eum ordinem dispositos esse, quem Haasius in libello pg. 2 commemorato ex Vincentii testimonio codicumque indiciis restituit. Incipiunt igitur Natt. Quaestiones in codice L a capite libri, qui in editionibus adhuc est quartus: *Grandinem hoc modo fieri si tibi affirmavero, quo apud nos glacies fit* eqs.; septimum librum excipit primus; extrema pars est libri IIII. caput 2., cuius ultima verba sunt: *nec enim ulli flumini dulcior gustus.* Itaque libri in codice L sunt octo, sed falsis numeris eos librarius insignivit. Nam inscriptio omnibus libris praemissa (cf. § 5) nullam libro primo loco positi notam continet, ad finem autem huius libri ille apposuit haec: *annei senece liber. III. explicit de nubibus. Incipit IIII. de uentis,* ex quo secutum est, ut reliquos quoque libros numeris binione maioribus, quam par erat, insigniret et omnino decem libros numeraret. Integrae autem et inscriptio toti operi praemissa et librorum notae excepto libro, qui debebat nonus esse (cf. var. lectt.) in margine tantum exstant atramento scriptae. Has librarius, id quod ex literarum forma manifestum est, eodem tempore scripsit, quo Natt. Quaestiones iterum ad alium codicem correxit. Postea vero illas notas in spatia, quae inter singulos libros vacua reliquerat, rubro transtulit (cf. tamen var. lectt. in fine IIII. et V. libri); desiit autem hoc facere in initio libri sui septimi.

11. Nunc quaestione de virtute codicis L seposita ad Vincentium transeamus, de cuius vita et scriptis hoc loco brevissime agere licet et sequi auctorem J. A. Fabricium. [2]) Bellovacensis dictus est „a patria et Coenobio Dominicanorum, in quo Bellovaci degebat.“ „Regnante Philippo Augusto Lutetiae literis operam navavit . . . et unus ex primis fuit, qui ordini Praedicatorum se adiunxerunt. Helluo librorum fuit.“ „Obiit a. 1274.“ Scripsit Vincentius praeter alios libros ingens opus tripartitum, quod vocatur Speculum Maius, continens tria Specula, Naturale, Doctrinale, Historiale; addi autem solet Speculum Morale ab ignoto auctore post annum 1300 compositum. In his Speculis immensam locorum e libris veterum et de sacris et de profanis rebus scriptis excerptorum multitudinem Vincentius congessit, e quibus locis, quum non verisimile sit eos ab illo memoriter scriptos esse, emendandis illis libris subsidia aliqua credibile est accedere posse. Composuit autem Vincentius Specula illa sic, ut non ipse oratione continua de quaque re exponat, sed ut inscriptionibus capitum significet, de qua re agatur, deinde in ipsis capitibus locos scriptorum ponat inter se non coniunctos; raro suam ipse sententiam aperit. Cuius vero verba sint, quae quoque loco leguntur, accurate profert praeposito nomine scriptoris vel, se ut indicet, voce *actor* (vel *auctor* vel *author*), quam peraro oblitus est ponere (veluti Sp. Nat. V, 60 init.).

12. Atque ad nonnullorum iam scriptorum crisin loci ex illis thesauris adhibiti sunt. Neque quos e Senecae scriptis Vincentius in magno suo opere locos recondidit, omni usu caruerunt; nam passim lectiones ex Vincentii Speculis in editionibus commemoratae reperiuntur. Sed occasione tantum oblata viri docti illas lectiones adnotavisse, non autem omnes locos

[2]) Jo. Alberti Fabricii Lipsiensis Bibliotheca latina mediae et infimae aetatis (ed. prima Ital. a P. Joanne Dominico Mansi). Patavii 1754. Tom. VI. pg. 298 sq. — Praeterea conferas: Etudes sur Vincent de Beauvais . . . par M. l'abbé J—B. Bourgeat. Paris 1856. Hunc librum non contigit mihi inspicere; sed quid contineat, cognoscitur ex iudicio de eo a viro doct. Léon Feugère facto in commentariis Parisinis, qui inscribuntur „Athenaeum français“, tom XXVIII. pg. 658 sqq.

collegisse videntur. Novit autem Vincentius librorum, qui Senecae nomen in titulo habent, hos: Marci Senecae *libros declamacionum quinque*; *de sentenciis diversorum oratorum librum unum;* deinde *tragedias X*; Lucii ludum de morte Claudii, de beneficiis *libros III.* (numerus corruptus est; infra „flosculi" septem librorum positi sunt), libros de clementia, ad *paulum* (sic!) *de quatuor virtutibus librum unum*; *libros* (sic!) *de moribus et librum de remediis fortuitorum*, *libros* (sic!) . . . *de immatura morte*, Naturales Quaestiones, epistolas ad Lucilium (86) et *ad paulum apostolum nonnullas.* Atque ex his libris praeter librum de sententiis div. or., ludum, epistolas ad Paulum [3]) flosculos excerpsit in Spec. Hist. VIIII, 102—135 editionis Mentelini, qua uti debet, qui Vincentii auxilio verborum crisin factitare vult. [4]) Praeterea in eodem Speculo maximeque in prioribus libris complures locos Senecae commemorat. Plurimos autem locos ex Natt. Quaestionibus sumptos Speculo Naturali intexuit.

13. Atque de omnibus illis locis hoc in libello, ubi de Natt. Quaestionibus agere mihi proposui, accurate exponere non in animo est. Illud tamen silentio praeterire nolo, Lucii Senecae libris de clementia, de beneficiis, epistolis per Vincentium vix ullam utilitatem accessuram; videtur enim in his libris ille deterioris notae codicibus usus esse. Flosculos ex libro de moribus in Speculo Hist. et Doctr. servatos Schenkl l. c. collegit. In (Martini Dumiensis) libro de quatuor virtutibus Vincentius nonnullis locis lectiones praebet, quas ab Haasio in iterato volumine tertio iam video

[3]) Haasius v. III, pg. 424, adnot. Vincentium dicit non vidisse *libros de immatura morte;* nullos enim ex iis flosculos excerpsisse. Sed fugit virum ill. sententia c. 114 extr. (in editione Speculi Hist., qua Haasius usus est, l. VII, c. 116) ex illis libris commemorata. Neque tamen hoc obstat Haasii iudicio; est enim sententia eadem, quae a Lactantio institt. III. 12, 11 commemoratur: *Una res est virtus, quae nobis immortalitatem donare possit et pares diis facere,* et videtur ex Lactantio Vincentius hanc sententiam sumpsisse.

[4]) De editionibus Vincentii cf. Wolfii et Buttmanni Museum antiqu. stud. I. pg. 251 „Bibliographica nonnulla de Vincentii Bellovacensis Speculorum Editionibus antiquioribus. Scr. Ph. Buttmann" et Ernesti Grubitz „Emendationes Orosianae", progr. scholae reg. Portensis. Numburgi, 1835. pg. 4 sq.

receptas. Duas autem, quas ille non recepit hoc loco, quamquam uberiore apparatu critico careo, non dubito commendare. 2, 10 Vinc. Sp. Hist VIIII, 103 pro *aspera tentat*, quod languidissimum est et parum accomodate insertum enunciatis, ubi contraria inter se conciliantur, exhibet *aspera lenit*; quod autem L haec verba omittit, id errore mihi videtur niti. 4, 7 Vinc. l. c. 104 concordante L habet *muliebriter fractus*, quod ad sententiam loci aptissimum est (cf. Plin. Ep. II, 14 *fracta pronunciatione dicere;* Iuven. II, 111 *fracta voce loqui;* Tac. ann. XIIII, 20 *si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent;* M. Sen. Suas. VII. *Solebat* (Surdinus) *dulces sententias dicere, frequentius tamen praedulces et infractas*).

14. Haec de reliquis Senecae libris hoc loco dixisse satis est. Nunc de locis Natt. Quaestionum, qui obvii sunt in Vincentii Speculis quum Historiali tum Naturali, agendum est. Primum autem omnes, quos quidem inveni, numeris indicandis in uno conspectu ponam; in quo librorum verum ordinem retinebo.

Sp. Hist. VIIII, 110. *Flosculi. Naturalium. Questionum. Eius. Idem. De. Naturalibus. Questionibus. Libro.*

Primo	nunc	IIII, c. 13, 9; c. 3, 6; c. 13, 11. ed. Haas.
Idem. In. Secundo	„	V, c. 18, 5 et 15.
Idem. In. Tercio . . , . .	„	VI, c. 1, 8; c. 2, 9; c. 32, 1 sq. 4 sq. 10 sq. 12.
Idem. In. Quarto. Libro . . .	„	VII, c. 1, 1.
Idem. In. Quinto. Libro (pro Quarto) [5])	„	VII, c. 9, 3.
c. 111. *Adhuc. De. Eodem. Idem. In. Libro. Sexto*	„	II, c. 59, 3 sq. 9 sq. 4 sq.
Idem. In. Septimo. Libro . .	„	III, praef., 10—14; c. 30 extr.; c. 18, 3 et 7.
Idem. In. Octavo	„	IIII, praef. §§ 1, 2, 3, 5.

[5]) Cf. Haas. in ind. lectt. Vrat. 1859|60. pg. 8 extr.

Lib. V, c. 20. *Seneca. De. Naturalibus. Questionibus. Libro II*	nunc V, c. 15, 1.

Ex Speculo Naturali collegi locos hos:

Lib. V, 48 *Seneca de naturalibus questionibus*	„ IIII, c. 3, §§ 2, 3, 5, 6.
„ 50 *Seneca ubi supra* . .	„ IIII, c. 3, 6 et 5; c. 5, 3.
„ 52 „ *de naturalibus questionibus libro III* . .	„ IIII, 4.
„ XVI, 5 „ *de natt. questt.*	„ IIII, c. 8; c. 9; c. 10; c. 12; c. 11 §§ 1, 2, 4.
„ VII, 8 „ „ „ „	„ IIII, c. 11, §§ 2, extr., 3, 4.
„ V, 26 „ „ „ „ *libro II.*	„ V, c. 1, 1—3; c. 13 extr.
„ 27 „ *ubi supra libro II*	„ V, c. 2, 2; c. 3, 1 et 2.
„ 32 sq. *Seneca ubi supra*	„ V, c. 7; c. 8; c. 9; c. 11, 1; (Vinc. c. 33) c. 11, 1; cc. 10—13, 3.
„ 34 ext. et 35 init. *Seneca ubi supra*	„ V, c. 17 in. et fin.
„ 37 *Seneca ubi supra* .	„ V, c. 18, 1—4 med. 5 med. 6 init. 8 et 9 in. 11 in. 13—15.
„ VII, 68 med. *Idem in libro II*	„ V, 15.
„ 38 sq. *Seneca libro III*	„ VI, c. 32, 1 sq.; c. 1, 4—8 *auferuntur*; c. 29, 1 sq. *exciderent*; c. 1, 8—11 in. *mobilia*; § 12 *nihil itaque... cadunt*; § 15 extr.; (Vinc. c. 39) c. 2, 2 sq. *salubria sunt.* § 6 in. et fin. §§ 7—9 *cecidisse velim;* c. 32, 3—6 et 10—12; c. 3, 2—4 *ne timeas.*

Lib. VIII, 26	*Seneca libro tercio*	nunc	VI, c. 4, 1; c. 5; c. 24, 1—3; c. 25, 1; c. 30, 4; c. 31, 1 extr. et 2.
,, 28	,, *ubi supra*	„	VI, c. 21, 2 et 1.
,, 30	,, ,, ,,	„	VI, cc. 27 sq.
,, 31 med.	,, ,, ,,	„	VI, c. 26, 1 sq.
,, VI, 35 med.	*Idem in lib. III*	„	VI, c. 26, 1 sq.
,, XVI, 15.	*Morale senece de spectaculo eclipsis. Seneca de natt. questt. LX* (pro IV)[6] . .	„	VII, c. 1, 1—4.
,, 58.	*Seneca de nat. quest.* li. IIII . . , . .	„	VII, c. 1, 1—5; c. 28.
,, 60 sq.	*Seneca ubi supra*	„	VII, c. 4, 1; c. 6, 2 sq.; c. 7, 1; c. 8; c. 9, 3 sq; c. 10, 1 et 3; (Vinc. c. 61) c. 11; c. 12, §§ 1—4 et 8 extr.; c. 21.
,, 62	*Sentencia senece de eisdem* (i. e. de cometis.)	„	VII, c. 22; c. 23, §§ 1 et 3; c. 24, 1 sq; c. 26 extr.; c. 27, 5 sq; c. 28, 1.
,, V, 39	*Seneca ubi supra libro IIII*	„	VII, c. 9, 2; c. 5, 1, c. 10, 3; c. 5, 2; c. 8, 2; c. 9, 3.
,, 71	*Seneca libro V* .	„	I, c. 1, 1 et 5—9.
,, 72	,, *ubi supra*	„	I, c. 1, 9—11.
,, 73	,, ,, ,,	„	I, c. 14, 1—5; c. 15, 6; c. 1, 13—15.

[6]) De numeris apud Vinc. depravatis cf. Haas. l. c. pag. 9.

Lib. V, 75—77 *Seneca ubi supra*	nunc I, c. 3, 11 in. §§ 1—4, (Vinc. c. 76) §§ 5—8; §§ 11, 12, 14; c. 4 extr.; (Vinc. c. 77) c. 4; c. 5, 1 sq.; c. 3, 9 sq.; c. 6, 5 sq.; c. 5, 14.
„ 79 „ „	„ I, c. 8, 6 sq.
„ 80 „ „	„ I, c. 6, 1.
„ 81—83 „ „	„ I, c. 2; (Vinc. c. 82.) cc. 9—11, 1; c. 15, 7 sq; (Vinc. c. 83.) quaedam ex c. 11, 2 sq.; c. 12 sq.
„ XVI, 15 med. *Idem in libro XV* (pro V)	„ I, c. 12, 1.
„ VII, 3. *Seneca de natt. qu. libro VI.*	„ II, c. 5, 1.
„ V, 11. *Seneca ubi supra* .	„ II, c. 6, 1.
„ 22 „ „ „	„ II, c. 10, 2—4.
„ 1 „ *de natt. qu. libro VI*	„ II, c. 13, 4—c. 14 extr.
„ 5 *Seneca ubi supra* .	„ II, c. 22, 1.
„ VII, 70 „ *libro VI* . .	„ II, c. 22, 1 sq.; c. 23, 2; c. 24.
„ V, 55—58 *Seneca de natt. qu.*	„ II, c. 54; c. 55, 2; c. 17; c. 18 in.; (Vinc. c. 56) c. 20; c. 27; (Vinc. c. 57) cc. 28 sq.; (Vinc. c. 58.) c. 30.
„ 43. *Seneca libro VI* .	„ II, c. 30, 4.
„ 59 „ *lib. V* (pro VI.)	„ II, c. 54, 4; c. 56, 1; c. 57, 3 sq.; c. 53, 2; c. 58; c. 26, 7—9.
„ 61 sq. *Seneca libro VI* .	„ II, c. 40; (Vinc. c. 61) c. 31.
„ 63 „ *ubi supra* .	„ II, c. 52; c. 53, 1 sq.

Lib. V, 64 sq. *Seneca ubi supra*	nunc	II, c. 12, 1—3; c. 15 sq.; c. 18 med. — 19; c. 55, 4; c. 56, 1; c. 57, 1 —3 med.; (Vinc. c. 65) cc. 21—24.
„ 66 „ „ „	„	II, c. 25; c. 26, 1—7.
„ 69 „ „ „	„	II, c. 58, 3; c. 53, 2; c. 26, 7—9.
„ 70 „ „ „	„	II, c. 59, 1—11.
„ VI, 53 *Seneca de natt. qu. libro VII*	„	III, cc. 1—3 med.
„ 12 *Seneca ubi supra* .	„	III, c. 5.
„ V, 45 extr. *Seneca lib. VII*	„	III, c. 7, 1.
„ 26 med. *Idem in lib. VII*	„	III, c. 10, 2.
„ III, 13 *Seneca ubi supra* (i. e. lib. VII. . . .	„	III, c. 10, 3—5.
„ 3 *Seneca de natt. qu. libro VII*	„	III, c. 12, 2.
„ VI, 31 *Seneca ubi supra* (i. e. lib. VII) . . .	„	III, c. 12, 4 et 1.
„ V, 6 *Seneca ubi supra lib. VII*	„	III, c. 13, 1.
„ VII, 68 „ *libro VII* . .	„	III, c. 15, 1—4; c. 16, 4 sq.
„ VIII, 1 „ *de nat. qu. lib. VII*	„	III, c. 15, 2—4.
„ VI, 29 „ *ubi supra* (i. e. lib. VII.)	„	III, c. 15, 5 sq.; c. 16, 1—3; c. 15, 2—4.
56 „ *libro VII* . .	„	III, c. 20, 1.
„ VI, 80 „ *ubi supra* . .	„	III, c. 20, 3; c. 25, 12.
„ 44 „ *libro VII* . .	„	III, c. 25, 5 in.
„ 54 „ „ „	„	III, c. 25, 5—10.
„ 8 „ „ „	„	III, c. 26, 7 sq.; c. 28, 5.
„ 33 „ *ubi supra* . .	„	III, c. 26, 1—3.
„ 34 sq. *Seneca libro VIII*	„	IIII, c. 2 extr. et §§ 1 et 2 in. (Vinc. c. 35) §§ 3—5 et 8—12.
„ 45 *Seneca ubi supra* (i. e. libro VII (cf. Sp. Nat. VI, 44.) pro VIII)	„	IIII, c. , 26sq.

15. Indicavi iam, ubi apud Vincentium „flosculi“ e Senecae Natt. Quaestionibus excerpti reperiantur, et numeros horum locorum in exemplo Haasii. Hos autem locos illum, ut iam supra (§ 11) dixi, non verisimile est e memoria scripsisse. Nam primum immensa illa multitudo locorum e scriptis diversissimis arcessitorum id credi vetat. Deinde multis locis quum recte scripta tum mendosa ita congruunt cum libris mss., quos etiam nunc habemus, ut casu id accidisse debeat negari; veluti II, 58, 1 Vinc. cum uno E habet *quia celer ignis undique motus;* I, 1, 15 una cum EeL *ire* pro *coire*, quod ibi sententia requirit. Denique librorum numeros Vincentius plerumque recte indicavit; neque imminuunt huius argumenti gravitatem pauci illi loci, ubi numeri aut omissi sunt aut depravati. (Cf. Haas. l. c. pg. 8 extr. et pg. 9.) Quamquam autem certum est Vincentium e codicibus locos in Specula sua transscripsisse, tamen falletur, qui eximium aliquid de illis flosculis speraverit. Nam ille in transscribendo haud ita accurate versatus multa vel imprudens peccavit vel etiam consilio mutavit, quod ipse confitetur in prologi c. 10 dicens „in plerisque locis se aliquid mutavisse de superficie vel ordine verborum“. Accedit, quod post eum haud dubie etiam librarii et typothetae mendorum numerum auxerunt, cuius generis insigne exemplum propono: III, 10, 2 in edit. Mentel. (Spec. N. V, 26.) est *speculato* pro *lato impetu*, ortum illud ex *ĩpetu lato*, quod exhibet edit. Duacensis anni 1624.

16. Ne autem postea omnes mutationes Vincentii in varietatem lectionum referri debeant, nunc accuratius, quam ipse fecit, demonstrabo, quam ille rationem in transscribendis locis secutus sit. Atque quod saepe iis accidit, qui scriptorum locos commemorant e contexta oratione exemptos, ut initium loci excerpti mutandum sit, id Vincentio quoque accidisse non est mirandum. Exempla sint haec: II, 54, 1 [7]) ***Posidonius ait quod e terra terrenisque*** eqs. V, 2, 2, ***Domocritus***

[7]) Loci Senecae ubi apud Vincentium legantur, ex indice supra posito facile cognosces.

ait quod in hoc quod circumdati sumus eqs. IIII, 2 extr. *Nilus dulcis est nec ulli flumini dulcior gustus.* II, 21, 1 *Et ignis quidem fieri solet apud nos duobus modis;* et tribus locis Vincentius haec verba eodem modo mutavit, Sp. N. V, 5 et 65; VII, 70.

17. Deinde Vincentius non semper eum locum, quem coepit describere, etiam continuat, sed, quae capitis, in quo illum ponit, argumento inscriptione indicato congruunt, ea eligit; quae vero minus apta sunt ad illud argumentum vel quae minus necessaria videntur, ea praetermittit; in componendis autem locis, quos elegit, non ordinem a Seneca observatum, sed suum arbitrium sequitur: cf. Sp. N. VII, 38 sq.; V, 75 sqq.; ib. c. 55 et 69. Unum huius generis molestissimum exemplum, quod parvum tantum spatium explebit, hic ponam: Sp. N. V, 39 Vincentius ea, quae de turbinis natura in Naturalium Quaestionum libro VII (vel IIII) passim exponuntur, excerpsit hoc ordine: (VII, 9, 2) *Turbinem efficit plurium ventorum inter se colluctatio. hec* (c. 5, 1) *circa terras concipitur et fertur, ideoque arbusta radicitus vellit et in quodcunque incubuerit solum, nudat silvas interim et tecta corripiens, inferior fere nubibus altior utique nunquam.* (c. 10, 3) *huius rotunda facies est.* (ibid.) *dum columne modo circumagentis se volvitur.* (c. 5, 2) *omni nube velocior rapitur.* (c. 8, 2) *eius motus vagus est et disiectus et verticosus.* (c. 9, 2) *diu autem manere non potest. nam cum vagus et incertus* eqs (usque ad finem § 3). Ac similiter nonnumquam singulas alicuius loci sententias Vincentius aliter disponit atque in codice suo haud dubie legit, veluti V, 8, 1 seq. *nocte vero exhauritur et montibus inclusum in una regione colligitur. quam cum implevit et iam Sol non capit, quaerit quo defluat et eo potissimum exit ubi plurimum vacui est et magna ac patens aura. huius rei argumentum est quod prima noctis parte non spirat; incipit enim tunc illa collectio fieri quae circa lucem iam plena est, eoque incumbit, quo liberior exitus invitat.* Denique passim singulas sententias suo loco movit aliisque locis inseruit, ut I, 2, 8 post verba *illinc ventus est* ex § 5 haec interposuit: *unde et nautici inde ventum expectant. quando contextus corone perit, si a septentrione discedit aquilo erit, si ab*

occidente favonius. II, 26, 4 post *emicantem more fulminum* ex § 6 posuit *nec extinctum mari superfuso.*

18. Ex hac autem ratione locos electos componendi secutum est, ut saepius sententiarum et conformatio et coniunctio mutaretur. Sic omissae sententiae mutationis causa sunt V, 1, 3: *Itaque parum comprehendit, qui dixit quod fluctus est maris agitatio. Dicatur ergo. Ventus est aer fluens in unam partem.* Transitum sibi ad alium locum Vincentius I, 5, 2 aperuit sic: *Verum quoniam in arcu solis imago esse valet, in quo neque figura ... apparet, primum quidem sciendum* (c. 3, 9:) *acie nostra nichil esse fallacius.* Ex libidine quoque sententiarum structuram mutavit, velut: I, 12, 1 enunciatum *quia pinguis humor minus facile turbatur et ideo quas recipit imagines servat* in Sp. N. V, 83 sic conformavit: *quia pinguis humor dum minus facile turbatur, quas imagines recipit servat;* contra ib. XVI, 15 eundem proferens locum nihil mutavit Deinde enunciatum primarium nonnumquam ponit pro secundario, cf. I, 6, 5 extr. *nam anulus in fundo iacet. facies eius in summa aqua redditur;* III, 5 *per multiplices namque* (hoc autem est pro *quod*) *terrarum anfractus* eqs.; rursus enunciata secundaria pro primariis ponit, cf. III, 2, 2 *quia frigide sunt et calide;* passivam, quae dicitur, constructionem activae substituit, velut IIII, 8 *horum ergo duplicatione proxima quaeque terris calefiunt,* participium enunciato secundario, velut IIII, 11, 2 *nobis comparata* (pro *quamdiu nobis comparantur*), interrogationi rhetoricae enunciatum affirmativum, ut II, 58, 3 *Idcirco autem sepe cacumina montium fulminibus feriuntur, quia* eqs. Spec. Nat. V, 69; at ibid. c. 59 interrogationem non mutavit. Quaedam huius generis vitia in eo posita sunt, quod nonnumquam Senecae orationem ad barbaram medii aevi latine loquendi rationem composuit: I, 1, 7 *Philosophus huius rationem reddit. quia varia* eqs. II, 20, 2 *concedo. videtur autem quod non illis discreta postestas sit* (cf. cod. E. II, 34, 3); ib. c. 57, 3 *ut breviter dicam quod sentio, dico ergo quod fulmen est...;* cf. V, 1, 3; 2, 2; II, 54, 1, quae exempla iam supra commemoravi § 18 init. et § 16. Coniunctionibus *cum, si, sive . . . sive, quo,* relativis *quisquis, quicumque* et similibus saepe coniunctivum iunxit. Brevitatis quo-

que studium nonnumquam causa fuit, cur Vincentius sententiam potius, quam verba Senecae traderet, velut I, 15, 6 quae sequuntur post haec: *certa illis substantia est*, ea sic in breve coegit: *non sicut arcui et corone imago fallax et vana.*

19. Idem brevitatis studium Vincentium saepissime commovit, ut non modo singulas voces, sed totas enunciationes vel partes enunciationum omitteret, cuius generis pauca exempla sufficient: I, 2, 1 *divus* ante *Augustus* omissum est; II, 20, 1 *Apolloniates*; 26, 9 *puraque*; VI, 2, 9 *meus* post *Vagellius*; VII, 21, 3 *laetissimo.* Enunciationes plerumque tales omisit, quae transitionem continent vel exemplum aliquod vel quae interpositionem efficiunt, velut II, 27, 1 extr. omissum est: *hoc quomodo videatur fieri dicam*; ib. 57, 2 *sic liquescit . . . igne distillat*; VII, 8, 2 *ut Salustii utar verbis.*

20. Sed non modo ut brevem, verum etiam ut quam maxime perspicuam et commodam lectoribus Senecae orationem proponeret, Vincentius operam dedit. Quare nonnumquam illi voces inseruit maximeque studuit enunciationum cohaerentiam coniunctionibus, quarum Seneca satis parcus est, adverbiisve supplendis demonstrare. Itaque frequentissime inveniuntur apud Vincentium additae particulae *etiam*, *et*, *que*, *autem*, *vero*, *sed*, *at*, *verumtamen*, *tamen*, *quidem*, *siquidem*, *nam*, *enim*, *etenim*, *nempe*, *scilicet*, *sic*, *sicut*, *ut*, *itaque*, *ergo*, *igitur*, *unde*, *inde*, *item*, *quoque*, *praeterea*, *utrum . . . an* in geminatis interrogationibus, quas Seneca solet semel posito *an* coniungere. Alias quoque voces perspicuitatis causa adiecit, velut I, 2, 8 *cum ad unam partem rupte cesserint*; II, 14, 1 *non enim tunc ignis illinc cadit*; V, 2, 2 *in magna spacij laxitate*; saepe pronomina hac de causa adiecta sunt, *iste*, *is*, *ipse*, similia, velut I, 13, 1 *alteram imaginem esse solis, alteram ipsius imaginis*; II, 30, 1 zeugma vitatum est adiecto verbo *fieri: concursu fieri tonitrum et exculi fulmina posse.* Tales igitur adiectiones, quamquam habent certam causam, tamen non erant necessariae — hoc autem vix opus est commemorare, in initio loci excerpti vel ubi aliquid omissum erat, nonnumquam unam pluresve voces

ex iis, quae praetermissae sunt, supplendas fuisse [8]); — invexit vero Vincentius nonnumquam voces etiam plane ad libidinem suam, quod manifestum est in exemplo petito ex II, 24, 3, ubi ille Spec. Nat. V, 65 scripsit *natura sua*, VII, 70 *sua* non adiecit. Praeterea quatuor locis Speculi Nat. inveni varias lectiones a Vincentio e codice suo in Senecae orationem illatas: I, 14, 3 *immensam claritatem. alias celeritatem*; II, 58, 1 *si minori pressus est materie. alias si minore impulsus est impetu*; V, 12, 5 *coagulationem alias conglobationem*; VI, 28 extr. *exercuerit vel extenuaverit.* Interpretamentum assutum est V, 2, 1 *multa corpuscula. i. athomi.*

21. Omnes hae additiones, de quibus adhuc disputavi, hanc habent vim, ut habitus orationis Annaeanae deformetur ac corrumpatur, non ut ipsis Senecae verbis sententiae, quae contineant aliquid ad eas res, de quibus aliquo loco agitur, pertinens, a Vincentio factae ita inserantur, ut primo quidem obtutu illius esse videantur. Neque ex reliquis mutationibus, quas in locos Senecae illatas videmus, colligere licet, fuisse Vincentii consilium suam disputationem Senecae tribuendi. Quare plane singulare est exemplum, quod occurrit Sp. Nat. V, 77, ubi Vincentius Natt. Quaestt. libri I, c. 4 excerpens inter § 2 et 3 (ed. Haas.) haec inserit: *Itaque arcus non est nisi percussio solis ad formam extenti arcus in opposita nube aquosa;* ac paene dubites, quid de his verbis statuendum sit. Sed, quoniam ipsa verba non ab omni parte recte se habent et Vincentii codex non videtur plenior fuisse, quam nostri sunt, facile mihi persuasi hoc loco Vincentium commisisse, quod ceteroquin non commisit, ut de suo ingenio verbis Senecae sententiam ad expositionem huius de arcu accommodatam interponeret. Alius autem generis est, quod praeterea invenitur additionis exem-

[8]) Huic generi additionum adnumero illa verba, quae Sp. Nat. VI, 34 interposita sunt inter finem et initium capitis 2 libri IIII: [*Nilus dulcis est nec ulli flumini dulcior gustus.*] *contra naturam aliorum fluminum.* [*ante ortum canicule augetur*] . . .; nam substituens haec verba in locum particulae *at* Vincentius disertis verbis exprimit illud contrarium una cum capite primo praetermissum et apud Senecam *at* particula indicatum. — Cf. Haas. l. c. pg. 10 extr. et 11 in.

plum Sp. Nat. VI, 44. Posuit ibi Vincentius Senecae locum III, 25, 5 init., in fine autem post verba *huius rei palam est causa*, adiicit *sicut dicetur dummodo ad inferiora transitum fecerimus*, quibus verbis manifestum est eum ablegare lectorem ad locum postea tractandum. Ac melius hoc quoque loco fuisset praemittere verbis additis vocem, quae est *auctor*. Ceterum Sp. Nat. VI, 54, ubi idem locus iterum citatur, illa verba non leguntur.

22. Verborum ordinem Vincentius saepissime plane ad libidinem suam mutavit, plerumque sine damno sententiae, nonnumquam perversam sententiam efficiens, ut I, 1, 5 *ignes esse cum aere vehementius trito in alteram partem inclinatio eius facta est.* Denique in mutandis singulis vocibus magnam sibi licentiam concessit. Nam non modo pro rarioribus vocabulis vel locutionibus usitatiora posuit (I, 6, 5 *videntur* pro *cernuntur*, II, 26, 9 *videtur* pro *visitur;* II, 40, 1 *dissipat* pro *discutit;* II, 17 *evadere* pro *vadere;* I, 6, 1 *serenum promittit* pro *serena promittunt;* I, 1, 1. *oblique feruntur* pro *obliqui f.*, sed etiam nulla omnino oblata occasione solam mutandi libidinem secutus est (quemadmodum *sic* scripsit pro *ita*, *vel* pro *aut*, *nam* pro *enim*, *existit* pro *est;* III, 9 *calorem citius* pro *celerius fervorem*). De duobus autem exemplis quid censeam, dubito: II, 28, 2 *screat* pro *sonat*, VI, 25, 1 *opilaverit* pro *opplevit*; nam neque quae apud Romanos fuit horum verborum notio, in hos locos quadrat neque Du Cangius me docuit screandi et oppilandi verbum ita, ut his locis usurpata sunt, apud scriptores medii aevi usu venire.

23. Nonnulli quoque loci, sive id factum est ipsius Vincentii negligentia sive librariorum erroribus, ita perturbati sunt, ut sententia careant; quos enumerare longum est. Ceterum Vincentius in Speculo Hist. locos Naturalium Quaestionum minus deformasse videtur, quam in Naturali, quod tibi probabitur, si N. Q. V, 15, 1 apud Vincentium et in Spec. Hist. V, 20 et in Sp. Nat. VII, 68 med. comparaveris.

24. Nimis diu iam lectorem, si ausus est sequi per istas sordes Vincentianas, moratus sum, quamquam non credo tanto eum taedio laborasse, quanto ego la-

boravi, quum perscrutarer illam farraginem locorum excerptorum, Vincentii excerpta cum Seneca conferrem, varias lectiones adnotarem in easque inquirerem. Neque utilitatis quidquam Naturalium Quaestionum crisi elici posse ex locis corruptissime traditis, labor autem meus multo tempore absorpto irritus fuisse facile videbitur. At ego, quamvis intellexissem fructum pro magno labore exiguum fore, tamen quaestionem susceptam missam facere nolui. Quoniam enim ex his, quae Haasius de Vincentii locis exposuit, satis mihi constabat bono illum codice in Natt. quidem Quaestionibus (cf., quam de Plinianis locis a Vincentio traditis sententiam ferat Silligius edit. Plin. v. I, pag. XLIIII sq.) usum esse, eruere volebam, quantum utilitatis his libris ex illis locis accederet, remque saltem eo perducere, ut, si forte nihil elici posset probabile, id possem affirmare, ne quis postea Senecae profuturus eundem, quem ego, laborem frustra subiret. Plus autem consecutus sum, quam ut nihil possim nisi negare omnem Vincentii utilitatem. Quamvis enim color elocutionis Senecae per Vincentium obscuratus atque elutus sit et vix ulla Vincentii ratio sit habenda, ubi agitur de sententiarum structuris, de verborum ordine, de additionibus, de vocum vel sententiarum omissionibus; tamen, si bene rem perpenderis, eae voces vel lectiones, quas ille intactas reliquit, quarum numerus satis magnus est, vel ex quibus suspicari licet, quid ille in suo codice viderit, non sunt spernendae; quod quomodo dici possit, paulo post exponetur.

25. Reliquum est, ut quaeratur, Vincentius utrum uno an pluribus Natt. Quaestionum codicibus usus sit. Quam quaestionem, quamquam difficillima est et absolvi vix poterit, tamen recusare non licet et iam meam sententiam explicabo. Primum autem censeo in utroque Speculo ex uno Vincentium codice hausisse tamdiu statuendum esse, donec plures eum adhibuisse certis argumentis evincatur. Nam, rem si per se spectas, non est verisimile illum in eodem opere conscribendo alios locos ex aliis exemplis sumpsisse. Deinde, si locorum excerptorum diversis locis diversum est pretium, huius rei causa vel Vincentii libido mutandi

esse potest vel ipsius codicis proprietas, qui, ut saepe fit, fortasse non ab initio usque ad finem eiusdem vel bonitatis vel pravitatis fuit. Jam autem videamus separatim de utroque Speculo. Atque in Speculo Naturali quoniam complures Naturalium Quaestionum loci bis terve excerpti reperiuntur, horum locorum diversitates inter se comparandae sunt. Nullius autem momenti in hac quaestione sunt eae diversitates, quas ex sola Vincentii illa licentia profectas esse vel errore aliquo ortas statim apparet; huc autem referendi sunt etiam hi loci: II, 23, 2 *ignem excuti* Sp. N. VII, 70, contra V, 65 *ignem excitari;* II, 56, 1 *conatum* Sp. N. V, 64, contra V, 59 *conatus* (numerum Vincentius accommodavit numero genitivi ab hac voce pendentis *ignium*); III, 15, 2 pro *muci* Sp. N. VII, 68 legitur *musci*, quod est in Ee, VIII, 1 *musti*, levi errore librarii, ut videtur, ex illo ortum, VI, 29 *muncus*, item errore factum ex *muscus*, quod Vincentius posuerat pro plurali *musci;* ibid. § 3. *in quaedam ... terra humorque putrescunt* Vincentius Sp. N. VI, 29 et VII, 68 integra servavit, VIII, 1 mutavit in haec: *in quadam ... terra humores putrescunt;* VI, 26, 2 Vincentius Sp. N. VII, 31 exhibet *accederet* recte, contra ib. VI, 35 haud dubie errore aliquo scriptum videmus *accidere.* Sunt autem loci, quos ex eodem codice fluxisse comprobat ipsorum convenientia: II, 26 extr. *superiora* pro *inferiora* duobus locis Vincentius exhibet, item duobus locis II, 30 extr. *efficiunt* pro *conserunt*; II, 55, 4 *Celidonius* pro *Clidemos*; II, 56, 1 *flammam victam* pro *flam. incertam*; II, 57, 3 *fulgur incensum* pro *f. intentum*; III, 15, 2—4 ter citatae exceptis iis diversitatibus, quas modo retuli et nullas esse dixi, paene nullam praebent diversitatem, imo verba *in capite cerebrum* ter videmus posita post haec: *in ossibus medullae,* ter legimus *plura sunt humorum genera*; VI, 26, 2 vox *Aegyptum* duobus locis omissa est et positum *Egyptus* post *limosi soli est*, iisdem locis legitur *dum partes* pro *cum p.*; VII, 1, 2 duobus locis est *universi corporis* et *laborantes.* Restant tres loci, qui dubitationem habent. Primus est II, 22, 1, quem quum ter Vincentius in Spec. Nat. citaverit, V, 65 et VII, 70 legimus *inter se diutius trita sunt*, quod est in

codice G, sed V, 5 comparet lectio codicum LBEe *stricta sunt.* Duorum igitur codicum lectiones agnoscere videmur. Sed fieri petest, ut ipse Vincentius duobus locis pro *stricta*, quod ferri non potest, posuerit *trita*. Verisimilior autem haec explicandi ratio videtur: Manifestum est ex exemplis supra § 20 extr. commemoratis in Vincentii codice nonnullis locis lectiones inter lineas vel in margine adscriptas fuisse; quod etiam probabilius videbitur, si comparaveris, quae § 35. c. exponuntur. Quare credo hoc quoque loco in codice Vincentii fuisse utramque lectionem et primo loco Vincentium *stricta* posuisse, duobus reliquis *trita*, quod probam sententiam praebebat. Atque eiusdem naturae sunt hi loci: II, 53, 2 Sp. Nat. V, 59 *qui quia natura gravis est*, ib. c. 69 *q. q. natura ignis gravis est* (*ignis* Vinc. de suo inseruit); ib. c. 63 *qui quia gravis est*, quod praebet optimus codex Berolinensis. III, 15, 2 Sp. N. VII, 68 *alii necessarii alii*, quod est etiam in cod. E, ib. VI, 29 et VIII, 1 *alia necessarii alia.*

26. In Speculo Hist. Vincentium plus unum codicem adhibuisse nullum omnino indicium est; nam praeter unum Natural. Quaestionum locum, quem posuit libro V, c. 20, omnes (quod sciam), quos excerpsit, „flosculos" congessit l. VIIII, c. 110 sq.; nullum autem in hoc Speculum bis vel pluries inseruit. Quaeri autem potest, num Vincentius alium codicem usurpaverit in Speculo Hist., alium in Naturali. Atque ne hoc quidem argumentis satis gravibus probari potest. Nam, quae lectiones locorum in utroque Speculo citatorum inter se discrepant, hae tales sunt, ut diversitas in errore aliquo posita sit; e. g. N. Q. VI, 32, 2 in Sp. Nat. est *fluminibus*, in Hist. recte *fulminibus*; VI, 32 extr. Spec. Nat. *tuleris*, Sp. Hist. recte *tulerit*; VI, 2, 9 Sp. N. *Virgilius*, Sp. H. *Vagellius* recte; Vincentii mutandi licentiae tribuo, quod N. Q. V, 15, 1 Sp. Hist. V, 20 scripsit *destructum* pro eo, quod Sp. N. VII, 68 recte citavit, *destitutum*. Neque sententiae meae officere videtur, quod N. Q. II, 59, 4 apud Vincentium Sp. Hist. legitur *resolvant*, Sp. N. *resolvatur*, quarum lectionum prior reperitur in codd. BGL, altera in EeAnic.Scal. [?cf. § 28. sub fin.]; nam hae lectiones facile inter se poterant confundi, si compendio

scriptae erant (*resolvāt=resolvant*, *resolvat̄=resolvatur*), vel fortasse utraque erat in codice omnium archetypo (cf. § 35. c.)[9]. Contra autem eodem in utroque Speculo codice usum esse Vincentium argumentum est, quod nonnulli loci in utroque mirum in modum consentiunt: sic N. Q. VII, 1, 1 extr. *fiant* pro *fiat*; VI, 32, 4 *vita* et *vitae* pro *anima* et *animae*; VI, 1, 8 Sp. N. VII, 38 *mons totus premat* et Sp. Hist. VIIII, 110, *totus mons premat.* Quae quum ita sint, persuasum mihi quidem est Vincentium ex uno eodemque codice locos Senecae in utrumque Speculum transtulisse.

27. Accedo ad praecipuam huius de codice Leidensi et Vincentii lectionibus disputationis partem, qua de virtute utrorumque agendum est. Qualis autem virtus sit codicis alicuius, qui quidem non solus continet aliquod scriptum, demonstrari nequit, nisi cum aliis eiusdem operis codicibus accurate comparatur, quorum aut simul definitur pretium aut iam est definitum. Atque Naturalium Quaestionum trium adhuc codicum integrae collationes promulgatae sunt, Berolinensis (E) sec. XIII., Bambergensis (B) sec. XI. Fikkerto iudice, Jano sec. XII., Guelferbytani (G) sec. XIIII. Lectionum ex aliis codicibus excerptarum partim tenuior, partim uberior collectio est. Codicum autem plena inter ipsos comparatio atque aestimatio non exstat. Quare necessarium aut certe optandum videbitur, ut dicturus de virtute codicis L omnes codices, cuius sint pretii, quam accuratissime describam. Sed duae maxime sunt causae, cur id ego hoc loco non faciam. Primum viribus meis diffisus hanc operam plurimum temporis absorpturam nunc suscipere non ausus sum. Deinde vero — id quod multo gravius esse debet — omnino nondum de codicum pretio ab omni parte iuste iudicari posse videtur. Nam non

---

[9]) Jure mihi videor praeterire in hac quaestione locum N. Q. II, 59, 9. Nam quomodo factum sit, ut *perdet*, quod ibi ex codicis Berol. lectione *pendet* Haasius restituit, reperiatur in Speculi Nat editione Duacensi a. 1624, quamquam *petet*, reliquorum codicum lectio, legitur in utriusque Speculi editione Mentelin'ana (Speculi Hist. editionem Duacensem non contigit mihi inspicere), vix potest expediri nec dubito, quin Vincentius in suo codice viderit, quod est in cod. Leidensi, *petet*; cf. §§ 29 sqq.

modo in comparationem venire debent etiam codex Wirceburgensis simillimus Berolinensi et Pragensis seculi XI, similis, ut videtur Bambergensi, sed fortasse melior (cf pg. 2.); sed etiam de optimi codicis Berolinensis scripturis saepius parum constat. Quae enim Fickertus et Herelius ex hoc codice notaverunt — significata autem illa sunt in Fickerti edit. litera E, haec litera e (cf. Fickert. v. III, pg. VII.) — saepe inter se discrepant, unde alterutrum errasse manifestum est. Quis autem quoque loco erravisset, adhuc fere ne suspicari quidem licuit. Collato vero codice L vidi huius libri scripturas modo cum E, modo cum e congruere. Ex quo sequi videbatur eas scripturas e codice Berolinensi notatas, quae reperiuntur etiam in L, recte excerptas esse. De qua sententia ut magis constaret, (quoniam non poteram totum hunc librum denuo excutere) per iuvenem humanissimum H. Bluemner, nunc Berolini phil. stud., qui grata atque accepta facilitate hoc munus suscepit, locos aliquot dubios recognoscendos curavi et id, quod suspicatus eram, nunc pro certo affirmare possum: n e c e s s e e s t codicem Berolinensem denuo excutere. Nam e Bluemneri notatis intellexi quibusdam locis Fickertum, uno Herelium, uno utrumque errasse; duo autem loci etiam nunc mihi dubii sunt. Atque ut iudicari possit de mea sententia, locos illos hic propono: I, 9, 1 *nihil curvati habens* legitur in E; I, 4, 3 *talem soli imaginem*; I, 17, 6 *sepius ea conspexere in quibus effigies*...omissa voce *prius*; ibid. *ferrum primum* (sup. lin. *primo*) *in usum fuit*; II, 1, 2 *que editiora imis sunt*; II, 11, 2 *sed cetere quoque*, omissa partic. *et*; IIII, 8 in. *Vnam rem ad hoc, hoc* compendio scriptum eodem, quo c. 13, 5 (4) in his: *Quando ad hoc perventum sit* (cf. Fickerti adnot. ad IIII, 2 extr. *si haec illi*...); V, 1, 1 *Sic tranquillum mare dicitur non cum leviter*; V, 13, 1 (2) *ita ut circumlata*; ib. § 3 *pugnacior est ac diutius volutatus*, sup. lin. *sepius in se volutatur*; I, 15, 8 Fickertus tradit codicem E post lacunam duorum foliorum (sic v. III, pg. 434; contra pg. VII tria folia excidisse dicit; sed duo esse exsecta testis mihi est Bluemner et ipse computando intellexi) rursus incipere per *quantum in pravum*, est autem in codice (compen-

dio scriptum) *quentur*; — V, 18, 9 (7) *mortem quae ubique*, male igitur Herelius notavit; — I, prol., 3 (2) *totus in se tendat an et ad nos*; Fickertus tradit legi *an ad et nos*, Herelius *an et nos*, utrumque fugit scriptura *tendat* pro *intendat*; Bluemner verbis ita, ut supra posui descriptis addit: „intendat habe ich nicht lesen können", hac sc. de causa, ni fallor, quod legit *tendat*; — dubii sunt hi loci; II, 21, 2 *silve illo scremate*; sic scripsit Bluemner, sed videtur mihi compendium syllabae, quae est *con-*, pro litera *s* habuisse; ib. E exhibet *veluti*; II, 29 Bl. tradidit mihi scriptum esse *quanto vocaliora sunt* (comp. *st*), F. et H. notaverunt *quanto vocaliora verba sint*, quam discrepantiam non expedio. Deinde ne Bambergensis quidem codicis scripturae a Lud. Jano passim notatae (cf. Fickert. v. III. pg. VI. extr.) semper congruunt cum Fickerti excerptis. Itaque iure mihi videor nunc quidem recusare, ne omnes codices ita recenseam, ut omnes eorum lectiones singulatim persequar, praesertim quum iudicium Haasii, quod is Fickerto assentiens v. III, praef. pg. IV de codicibus E et B fecit, vix credam mutatum iri.

28. Hoc igitur teneo, codicum illorum trium, quos plene collatos habemus, longe praestantissimum esse Berolinensem, quamquam nonnumquam librariorum additamentis vel erroribus inquinatus est et lacunis aliquot maioribus minoribusque laborat. Bambergensis, duobus seculis vel uno vetustior, saepissime gravissimeque interpolatus est (insignia tria exempla propono: IIII, 5, 1 *ad lancem* pro *ad obrussam*; ib c. 8 *ex tribus causis* pro *ex quatuor c.*, cf. Fikkert. ad h. l.; VI, 26, 2 *multum secum deferens limum et eum* pro *multum secum coeni trahens et id*) et desunt ei non modo singulae voces enunciationesve, sed finis libri tertii inde a. c. 25, 6 (5) *efferantur*, *quaedam* eqs. et libri quarti praefatio ac duo priora capita. Guelferbytanus, etiam ipse liber deterioris notae, saepius cum B congruit, quam cum E, saepe ab utroque diversus est; cum utroque concordat fere, ubi illi inter se concordant; bonas scripturas passim habet inter lineas aut in margine. Ex Gruteri codicibus Palatinis tertius (P_3) solet cum E, quartus

(P_4) cum B congruere; sed P_4 ex pleniore codice fluxit, quam B; habuit enim illam partem, qua B mutilatus est. Praeterea Bambergensi similes sunt, sed pleniores, Britannicus Gronovii (Brit.) et codices Fortunati (Fort.) Codices Opsopoei Memmianus et Nicotianus quum aetate tum scripturarum virtute nostros codices superant; illi (Memm.) similis est Berolinensis, huic (Nicot.) Bambergensis, uterque deterior eo, cui similis est. Videtur autem iam Nicotianus eodem loco mutilus fuisse, quo Bambergensis, in fine tertii et initio quarti libri; nulla enim ex illa in hac parte lectio commemoratur, contra ex Memmiano complures; et quamquam IIII, 2, 28 (27) *ut una sicca sit tellus, alia abundet* tribuitur codicibus Opsopoei, tamen minime credere necesse est fuisse inter hos etiam Nicotianum. Memmiano autem quibusdam locis praestat Berolinensis, veluti IIII, 2, 12 solus E praebet egregiam lectionem *profectusque*, Memmianus una cum reliquis *perfectusque*. Codicis Wirceburgensis lectiones, quas quidem L. Janus edidit, plerumque reperiuntur in codice E aut, ubi hic pravam scripturam exhibet, in Memm. Reliquos autem codices, quorum passim lectiones traduntur, Anicianum dico, Britannicum Erasmi, Chiflerianum, Coloniensem, Fragmentum Coloniense, Franciscanum, Pinciani lectiones, et si qui alii commemorantur, (Scaligeri codicem consulto praetermisi, quoniam idem est atque Fickerti Guelferbytanus; cf Fickert. v. I, praef. A. II. 1. d. pg. XXI. et A. I. 9. a. pg. XVII.) non possum dicere similes esse huic vel illi neque opus esse videtur de horum similitudine quaerere, quum fere lectiones deteriores sint nec satis multae notatae excepto codice Coloniensi, quamquam ne hic quidem lectionum integritate insignis est.

29. Apparet ex his eos codices, qui Fickerto noti erant, in tria genera disponi posse secundum proprietatem codicum EBG. Videamus nunc, quam necessitudinem cum his codex L et Vincentii lectiones, quas ex codice eius fluxisse verisimile est, quamque inter se habeant. Et poterit duobus argumentorum generibus adhibendis haec quaestio institui, librorum ordine et indiciis , quae in singulis vel mendis vel probis le-

ctionibus cernuntur. Credo autem absoluta hac quaestione etiam de ipsorum codicum EBG cognatione et diversitate nos certiores fore.

Ac primum de librorum ordine agendum videtur. In quo proficisci licet ab eo, quod Haasius in commentatione illa indici lectt. Vrat. 1859|60 praemissa certis argumentis demonstravit, ordinem librorum et in codicibus adhuc notis et in editionibus esse perturbatum et libros ita esse transponendos, ut libri quarti altera pars inde a capite tertio et sequentes libri usque ad septimum teneant priorem locum, post hos sequantur libri priores usque ad extremum libri quarti caput secundum. Argumentis ab Haasio allatis aliud gravissimum adiicio sumptum ex libri I. c. 15, § 4, ubi cometae commemorantur, quibus Seneca totum librum, qui nunc est septimus, tribuit. Atque omnes codices hoc loco verba habent haec: *cometas* . . . , *de quibus dictum est*. Quoniam autem is liber, quo de illis agitur, in codicibus ultimum locum obtinet, editoribus illa verba sic mutanda erant, ut scriberetur *de quibus dicendum est*. Indicium hoc quoque est certissimum mutati librorum ordinis. Sed non omnes codices, de quibus aliquid compertum habemus, hoc vitio laborant. In Vincentii codice libri recte dispositi fuerunt. Atque eundem ordinem, id quod iam § 10 commemoravi, codex L servavit. Itaque hi codices ad aliam stirpem pertinent atque EBG. Utraque autem stirps ex eadem origine profecta est. Nam neque Vincentii codicem verisimile est pleniorem fuisse nostris neque L plura continet, quam reliqui. Quare omnes codices ex uno codice, quem appellabo X, qui in initio et in fine mutilatus erat et ne in reliqua quidem parte lacunis carebat, fluxisse statuendum est, cuius apographa duo, quae brevitatis causa Y et Z appellare placet, duarum stirpium, quas modo indicavi, radices sunt. Alterum (Y) servavit verum librorum ordinem, in altero (Z) libri — id quod Haasius l. c. pg. 8 suspicatur ita factum esse, ut „volumen soluta in medio compage in duas partes dilaberetur, quarum quae priorem locum obtinere debuit, in posteriorem reiecta est", — transpositi sunt in eum ordinem, qui adhuc est in editionibus.

30. Postquam autem in Z ordo librorum exstitit falsus, etiam numeri mutati sunt in iis codicibus, qui ex eo fluxerunt. Atque in iis, quibus primi Naturalium Quaestionum editores usi sunt, septem facti sunt libri ultimo et primo in unum conflatis. In cod. G et eo, unde excerpta sunt ea, quae codex Vratislaviensis bibliothecae Bernhardino — Neapolitanae (cf. Haas. l. c. pg. 7 sub fin.) continet, septimus, octavus, primus in unum coierunt, unde sex libri numerantur. Auctor ordinis, quem reperimus in codd. E, Wirc., uni libro octavo suum locum in fine totius operis restituens verum numerum praefixit, reliquis falsos. Qui codicem B vel eius archetypum scripsit, ei accidisse videtur, ut, quum etiam ipse librum octavum in finem traiecturus fasciculum, qui illum continebat, ab reliquis separatum seposuisset, postea oblitus facere, quod voluerat, et octavum librum et extremam libri septimi partem praetermitteret, quae praeter librum octavum in illo fasciculo erat; quamobrem reliqua libri septimi parte cum primo libro copulata sex libri facti sunt.

31. Ad alterum apographum Y, ubi servatus fuit antiquus ordo, referendi sunt codex Vincentii et L. In illo librorum numeri, sive a librario sive a Vincentio appositi erant, recte se habuerunt, siquidem, ut videtur, (cf. Haas. l. c. pg. 8 med.) octavus liber in X hoc numero insignitus fuit. L vero eum librum, qui apud Vincentium est primus, tertium appellat et proinde decem libros numerat (cf. § 10); unde de librorum numero dubitatio oritur et, quoniam et initium et finis operis interiit, fortasse quispiam suspicabitur decem vel plures libros Senecam scripsisse. Sed in hac quidem re codicis L testimonium exiguum vel potius nullum videtur esse. Nam primum in X, id quod Vincentii codex, E, Wirc. certis demonstrant indiciis, magis tenui Bambergensis, liber de Nili incremento octavi signum habuit. Deinde explicari potest, quomodo orti sint in L falsi illi numeri. Videtur enim librarius, quum in eo exemplo, unde codicem L descripserat, nullas reperisset librorum notas, in hoc (L) autem nollet eas praetermittere, alium codicem adhibuisse eius stirpis, quam supra significavi litera Z, et quidem similem codici G; in quo quoniam ea pars libri tertii

quae in X locum obtinuerat in fronte operis et in L etiam tum obtinebat, non habebat praefixum numerum, ille primo libro hanc inscriptionem praemisit: ***Incipit seneca de naturalibus quaestionibus***; in fine autem huius libri, quum in codice simili Guelferbytano invenisset exeuntis libri tertii, incipientis quarti notam, hanc securus in L transtulit, reliquos deinde numeros respiciens illum, quem primo loco posuerat, adscripsit omninoque decem libros numeravit. Postea vero, quum rubricas a margine in contextum rubro transcriberet, desiit id facere in initio libri suiseptimi errore animadverso. Atque etiam probabilior haec sententia videtur, quia librarius rubricis supplendis bis parum spatii reliquit (lib. IIII extr. et V extr.), deinde quia eadem manu, qua rubricae in margine sunt scriptae, inter lineas variae lectiones appositae sunt (cf. § 8), denique quia codex L haud dubie — id quod infra demonstrabitur — cum aliquo codice eiusdem generis, cuius est G, confusus est. Quae quum ita sint, octo libros Senecam scripsisse adhuc statuendum est. Remanet autem quaedam difficultas; nam mirum est, quod in EWirc. octavus liber in suum locum repositus est, reliqui vero falsum locum acceperunt; de qua re meliora dicere, quam quae Haasius l. c. pg. 8 med. exposuit, non possum.

32. Inseram hic conspectum ordinis librorum, qualis in codicibus editionibusque reperitur, quo inspecto ea, quae adhuc disserui, facilius, credo, infigentur animo. Significant autem numerorum notae, quas solemus romanas appellare, veros librorum numeros, arabicae eos, qui sunt in codicibus et editionibus; signum — ante I amissum initium, post VII et VIII finem deperditum.

-I	II	III	IIII	V	VI	VII	VIII-	cod. Vinc.
1.	2	3.	4.	5.	6.	7.	8.	
-I	II	III	IIII	V	VI	VII	VIII-	L.
3.	4.	5	6.	7.	8.	[9.]	10.	
V	VI	VII	VIII-	-I	II	III	IIII	G (Vratisl.)
1.	2.		3.		4.	5.	6.	
V	VI	VII	-I	II	III	IIII	VIII-	E Wirc. (Memm?)
1.	2	3.	4.	5.	6.	7.	8.	
V	VI	VII-		-I	II	III	IIII	B (Nicot.?)
1.	2.		3.		4.	5	6.	
V	VI	VII	VIII-	-I	II	III	IIII	Editiones.
1.	2.	3.	4.		5.	6.	7.	

33. Praeter librorum ordinem Vincentii codex et L quasdam lectiones habent proprias, qua re idem illud comprobatur, quod modo librorum ordine demonstratum est. Sed, antequam de lectionibus ipsis quaeramus, haec praemittenda sunt. Excerpsit Vincentius paene tertiam partem Natt. Quaestionum. Ex hac igitur satis magna parte lectiones inter se conferam et credo satis certum iudicium inde fieri posse. Non autem omnes Vincentii lectiones in censum venire poterunt. Nam omnino praetermittendae sunt eae lectiones, quas Vincentius ad libidinem mutasse videtur (cf. §§ 16—24), quoniam de his certi quicquam statui non potest; deinde reliquarum quoque lectionum, quas ille intactas reliquit quaeque in aliis quoque codicibus reperiuntur, vel ex quibus, quid Vincentius in suo codice legerit, satis certo concludi posse videtur, aliquot silentio praetereundas duxi, eas scilicet, quae errore calami, sed levissimo, in hoc illove codice vel apud Vincentium ortae sunt, vel de quibus parum constat, vel in quibus nulla omnino codicum discrepantia est; codicis autem e scripturas commemorabo, ubi de codice E dicetur. Sic igitur de 848 locis agendum est, ubi codices (quibus Vincentium adnumero) inter se dissentiunt. Viam autem, qua propositum consequamur, ingrediendam censeo hanc, ut primum lectiones et congruentes et differentes numerentur hique numeri inter se conferantur, deinde discrepantiae qualitas perpendatur, denique codicum virtus et ratio constituatur. Atque locos longum est omnes enumerare de singulisque lectionibus disserere, exemplis tamen luculentissimis sententiam meam stabilire studebo. Mirum autem non erit, si quis meos numeros exigens fortasse paulum diversos inveniet; nam alii aliter iudicabunt, sitne recipiendus aliquis locus necne, et de quarundam lectionum bonitate disputari potest; ego vero bonas eas appellavi, quas praebet editio Haasii, quibus adieci nonnullas, quae quin recte se habeant, dubitari non potest, quamquam in illa nondum sunt, velut I, 4, 3 *soli,* quod haud dubie Haasius recepisset, si scivisset in cod. E sic legi; item II, 21, 2 *veluti;* IIII, 2, 1 *traheret et tanta mensura*, ib. *qua in Aethiopiam* (cf. Haas. l. c. pg. 11 sq.)

34. Redeamus ad propositum. Atque sunt lectiones codicis L et Vincentii, cuius scripturas abhinc indicabo litera V, propriae 24, velut III, 9 ***diutiusque habebit***, I, 15, 7 ***coron a*** et ***e riperentur***; II, 15 ***condensos.*** Duobus praeterea locis manifestum est Vincentii codicem idem habuisse quod L habet: I, 14, 3 L ***quacunque cucurrerunt***, V ***qu. cucurrerint***; II, 59, 6 L ***quaeritur***, V ***querimus***: nec minus illorum coniunctionem demonstrat utriusque scriptura I, 14, 1, ubi pro *βόθυνοι* L exhibet ***ut ei***, V ***uchei***. Harum autem lectionum quatuor probae et etiam ab Haasio receptae sunt: I, 12, 2 ***sic coactus aer***; II, 59, 6 ***quaeritur***; IIII, 2, 26 ***calidos***; ib. § 7 ***omnia***, quod Haasius de coniectura supplevit post ***crescerent***, L habet post ***flumina*** super lineam, V ante hanc vocem. Addi posse videntur duae: I, 14, 3 ***cucurrerunt***, quod Fortunatus coniecit, et II, 20, 2 ***plurium acervo nubium.***

35 a. Certum igitur est ad aliam stirpem pertinere V et L atque BGE; iam quaeramus, quae sit huius stirpis virtus quaeque singulorum eius codicum. Congruunt autem inter se L et V 498 locis; atque a reliquis codicibus omnibus vicies septies discrepant, a codice E centies quadragies bis, a B vel G vel ab utroque simul trecenties septuagies quinquies. Earum lectionum, quae discrepant ab E, 19 tantum codicis L et V propriae sunt; nam 8 lectionum illarum 27 ex ea libri primi parte sunt, quae in E excidit. Sunt autem ex his lectionibus ab E diversis in LV 52 bonae, 90 malae, vel in E 88 bonae (non 90; cf. § 35 b), 52 malae. Lectiones codicis E mendosae plerumque videntur ortae esse errore librarii, ut V, 15, 2 ***querimus*** pro ***querimur***; VI, 32, 1 excidit vox ***nunc***, item ***semper*** ibid. § 11; rarissime interpolatio agnosci potest, ut V, 11, 2 additum est ***non*** ante flarent. Deinde plerasque harum lectionum solus E habet, perpaucas etiam alii, ut V, 11, 1 ***tandem*** EGP_8Col. pro ***eandem***, I, 1, 4 ***habeat*** EG pro ***haberet***; tribus locis LV soli probam scripturam praebent II, 59, 6; IIII, 2, 26 et 27 (cf. § 34); III, 15, 3 LV cum uno Memm. recte exhibent ***putrescunt.***

35 b. Ex iis lectionibus, quas LV habent malas, 14 horum propriae sunt; in aliis quoque codicibus

reperiuntur 76, quarum 41 LV communes habent cum BG, ut IIII, 10 *in omni humore* pro *in h. o.*; V, 8, 3 *unquam* pro *usquam*; 10, 3, *ultraque ortum*; 12, 5 *facit* pro *fecit*; VI, 5, 2 *mihi dicendum*; — 6 cum uno B adversante G, velut V, 12, 3 *ruentes*, 18, 2 *dividi possint*; — 15 cum G adversante B, ut V, 13, 3 *quem* ante *prestera*; — duas cum sG: IIII, 8 *in se recurrunt*, II, 59, 11 *exarserit*; — unam cum mG III, 25, 9 *et ob hoc*; — unam cum Scal., i. e. G (cf. § 28 sub fin.) VI, 1, 5 *vindicat;* — duas cum aliis atque BG: II, 16 *interest* pro *est*, 24, 2 *id his* [L *is*] *ignibus*; — 6 cum e: VI, 32, 4 *licet* ante *inferorum* omissum; § 11 *numeravimus*; VII, 22, 2 *dimittitur*; I, 1, 13 *dilapsis*; II, 26, 4 *intervallis*; 27, 3 *mentem*; unde dubitatio exsistit, an E illis locis idem habeat quod LV; — denique duobus locis ne E quidem rectam scripturam tradit: V, 9, 1 *quia ver aquosum est*; c. 18, 6 *bellum paraturi*; his autem locis Vet L codicis scriptura poxime accedit ad similitudinem codicis E. Sunt hae lectiones diversae maximam partem tales, quas liceat pro levioribus erroribus habere vel pro interpolationibus, quae cuiusque codicis librarius ipse pro suo arbitratu sibi permiserit, ut V, 13, 3 *quem*, c. 18, 2 *possint*; VII, 8, 2 *abscondat*; maximeque hoc cadere videtur in locos illos 41, quibus codices BG cum LV congruuut; undecim locorum diversitas posita est in verborum collocatione (qua in re Vincentium ipsum sibi multum indulsisse apte hic monetur), quater in E *neque* legitur, in ceteris *nec*. Quibusdam vero locis codices BGLV equidem sequendos putaverim contra auctoritatem codicis E, ut V, 18, 3 *nisi esset*, VI, 32, 2 *et lanceam*.

35 c. Reliquas codicum E et LV differentias perpaucas veri simile est positas esse in qualitate atque habitu codicis X. Is enim praeter aliquot lacunas non modo in ipso orationis contextu foedatus fuit glossematis et scripturis vitiosis, quae proinde in omnibus codicibus vel integra leguntur vel aliquo modo mutata, ut VI, 22, 2 *conlapsa sunt*, III, 27, 11 *in ea excelsissma*; sed haud dubie etiam inter lineas vel in margine haud paucas habuit et correcturas mendose scriptorum et interpretamenta aliasque additiones. Quae quum vel omnia vel magna ex parte aut ita, ut in codice

X scripta erant, transissent simul in codices Y et Z, aut in his in contextum venissent (nec iam scriptae essent inter lineas vel in margine); multis postea locis factum est, ut in aliis utriusque stirpis codicibus probae scripturae retinerentur a librariis bene negligentibus ea, quae antea in X mendose scripta vel addita fuerant, aut additamenta, ut in X factum erat, inter lineas vel in margine adscribentibus, in aliis mendosa remanerent vel interpretamenta et additamenta in Senecae orationem irreperent. Sic VI, 2, 3 ***nos*** recte exhibent BBrit., *nostra* EG et L; II, 2, 3 ***navis***, quod, si genuinum esset, locum haberet ante *frumentum*, legitur in E (P_3?) et L, omissum in P_4Col.BG; III, 19, 1 ***adspici***, quod recte glossema esse iudicavit Opsopoeus, non habent Memm. et Col., at reliqui habent, inter quos est L, unus V II, 52, 3 et VII, 1, 3 caret glossematis ***in parte interioris arboris*** et ***ad minuendos dies vertitur***, ***quod a solstitio***, quamquam dubitari potest, utrum Vincentius codicem suum secutus sit, an consulto illa verba praetermiserit; VII, 6, 3 ***turbines*** additum est etiam in LV, in B tantum et Nicot. recte abest. Huic igitur lectionum generi quasdam in codicibus E et LV differentes scripturas adnumero, velut II, 53, 2 in E et V Sp. N. V, 63 ante ***gravis est*** non comparet vox ***natura***, quam inserunt BGL et V ib. cc. 59 et 69; ex quo sequitur additam fuisse hanc vocem in cod. X super lineam vel in margine, transisse in verba Senecae in BGL, in Vincentii autem codice, ut in X, super lineam scriptam fuisse. V, 18, 6 BG Col codd. Ops. recte exhibent ***bellum petituri***, P_4VL ***b. paraturi***, EP_3 ***bellum peracturi***; X videtur habuisse et ***paraturi*** et ***petituri***, alterum super lineam; ex illo autem in EP_3 errore ortum esse ***peracturi*** (***p̲aturi***, ***p̲acturi.***) Commemorare placet hoc loco aliud exemplum I, 3, 10 ***toto terrarum orbe***; ***toto*** enim vox in codices transiit praeter unum omnes, quum in X fuisset super lineam addita, recte praetermissa illa in codice Memm. Quae quum ita sint, nullius paene momenti sunt illae lectiones diversae ab E ad imminuendum codicum LV pretium.

36 a. Deinceps agendum est de lectionibus illis 375, quas L et V communes habent contra B et G.

Atque discrepant illorum lectiones 173 a solo B, quibus, ubi B mutilatus est (lib. lll, 25, 6—llll, 2 extr.), accedunt 2 codicis P_4; a solo G 61; simul a B et G 127, quibus addas 13 in P_4 et G; itaque omnino a B 300, a P_4 15, a G 201. Harum lectionum 375 non reperiuntur nisi in LV illae 27 supra (§ 34) commemoratae, in aliis quoque codicibus excepto E 9, inter quas sunt quatuor codicis P_3 (l, 12, 1 *et illum* et tres, quas paulo infra indicabo) in ea libri primi parte, quae in E excidit; unam et quidem probam, lll, 15, 3 *putrescunt*, LV communem habent cum uno Memm. Reliquae 338 simul in LV et E vel (duobus locis) e leguntur; atque praeter LV in uno E sunt 42 (velut Vll, 12, 1 *facies l. s. redditur*; l, 1, 1 *sentiam*), in e 2: Vl, 32, 4 *licet* ante *inferorum* omissum, item *ex* ante *intervallis* ll, 26, 4; in EGCol. ll, 13, 4 *hic* pro *hinc*. quod Herelius ex e notavit; in EMemm. 5: llll, 10 *Editior aer quo*, l, 1, 8 *ramenta*, c. 3, 6 *singulae*, ll, 10, 4 *quoniam* (L *quondam*) *quidem sterile frigus est*, lll, 15, 3 *in quaedam*; in E et uno codice Ops. (Memm ?) Vl, 25, 1 *opplevit* (a Vinc. mutatum in *opilaverit*); praeterea complures in EP_3, ut ll, 29 *inseri*, c. 30, 1 *concursu*, § 4 *est enim*. Pravae sunt (i. e. non leguntur in editione Haasii) ex omnibus his lectionibus non plus 52, quarum illae 23 § 34 commemoratae codicis L et Vincentii propriae sunt, 19 congruunt cum E (11 cum uno E, 8 cum E simulque aliis), cum e duae (Vl, 32, 4 et ll, 26, 4; vide supra), cum P_3 (ubi E mutilatus est) tres (l, 12, 1 *ut in latus eius*; c. 14, 1 *hi nonnunquam fixi* (V *et hi quandoque f.*); § 4. *neque enim tam*), cum alis 5. Itaque inter 375 lectiones LV habent bonas 323; B autem 90 antum, G 188; malas LV 52, B 210, G 187.

36 b. Sed non modo ex numero locorum diversorum, verum etiam ex qualitate discrepantiae de codicibus iudicium fieri debet. Atque eae codicum B et G lectiones, quibus illi differunt a LV, plerumque ita sunt comparatae, ut manifestum sit interpolatas eas esse, exiguam partem probabile est ortam esse errore. Illius generis exempla nonnulla haec sunt: IIII, 9 B (P_4) post *pressiora* addit *densioraque*; V, 1, 3 B *in unam partem fluentis*; c. 8, 2 B *immutat* pro *irritat*; c.

9, 2 B *collocavit* pro *evocavit*; V, 1, 3 G *aer est fluens impetu*; c. 8, 1 *emittunt* pro *remittunt*; c. 12, 1 *praemittunt* pro *emittunt*; I, 1, 8 B (Fort.Gr.) *stramenta*, G *fragmenta* pro *ramenta*; alterius generis videntur esse V, 8, 1 B *colligatur*; c. 18, 14 B *nascenda* et *circumscribetnr*; VII, 21, 1 G *aeri* pro *aere*, et pauca alia. Simul aliquot locis apparet codicem G interpolatas ac depravatas lectiones accepisse ex B vel simili huic, ut soli B et G I, 8, 6 habent *minus calidus est* (*est* G sup. lin.) pro *minus habet virium* (L *m. v. h.*); II, 6, 1 *unde ille* pro *unde illa*, ib. uterque omittit *coelestium*; II, 10, 4 BG *frigida est* pro *gelida est*; c. 18 *percussum* pro *per quassum* (LVEMemm. alii: *per crassum*); c. 27, 1 *volutus aer*, § 4. *deinde cum*; c. 28, 1 *collisae non plaudunt*; ib. *sonant* pro *resonant*; c. 30, 1 *in tanto ardore*; c. 40, 3 *signa* pro *vestigia*; c. 59, 8 *ultronei* pro *nati*; III, 13, 1 *spiritus* pro *spem*. Ac pariter aliis locis, ubi alii quoque codices eandem lectionem habent, quam BG, colligere licet codicis G lectiones originem habere in B; cuius generis pauca quidem, sed luculenta afferam exempla: I, 1, 1 BG *philosophia velit* pro *sentiam*; c. 3, 1 *repraesentationem* pro *varietatem*; II, 23, 2 *coniectus est* pro *proiectus est*; c. 29 *dissecari* pro *inseri*; c. 57, 3 *fulget* pro *splendet*; c. 59, 11 *iudicas* pro *putas*; III, 15, 3 *in quibusdam* pro *in quaedam*.

36 c. Ceterum quod codices stirpis Y in malis lectionibus aliquot locis congruunt cum codice alterius stirpis E (vel e vel P_3), in eo, quem supra § 35 c. descripsi, codicis X habitu causam habet. Sic mendosam scripturam videtur X habuisse V, 7, 1 *fluctus*; VII, 1, 3 *expectamus*; I, 1, 15 *ire*; II, 14, 1 *quamdiu . . . in quo ignis rapiendi naturam habet, accendi . . . summo aetheri*; III, 26, 2 *repugnavit*. Super lineam autem vel in margine haec menda correcta fuerunt: *flatus*; *spectamus* (*ex* fortasse punctis notatum fuit); *coire*; *quae diu . . . qui naturam rapiendi ignis habet, aliquid accendi . . . imo aetheri*; *repugnabat*. Deinde menda transierunt in Y, quare sunt in LV, simul et menda et correcturae in Z, unde in partem codicum probae lectiones transscriptae sunt, in partem pravae. V, 3, 1 X recte exhibuit *interim* (pro *interdum*.; cf. Dial. VI,

2, 1; Cl. l, 2, 1; N. Q. ll, 6, 5; Ep. 85, 5); quod quid significet, quum librarius non intelligeret, adscripsit vocem *tunc*, quae ei videbatur apte respondere sequenti coniunctioni *cum*; atque subditicia vox in plerosque codices irrepsit, genuina in Nicot. et B servata est. Errore exciderant in X Vl, 1, 6 ***defossi***; Vll, 28, 3 ***sunt*** ante ***praedicta***; ll, 12, 1 ***ista iaculatio cum ictu***; sed suppleta fuerunt; atque iterum pars codicum vitium retinuit, pars vitavit. Interpolatrice manu in X VII, 6, 3 ***turbines*** vox addita fuit; quam recte omiserunt Nicot.B. Illae denique lectiones malae, quas LV cum aliis codicibus atque E communes habent, praeter unam videntur in utraque stirpe a librariis factae esse non respecto aliquo alterius stirpis codice: Vll, 8, 2 ***abscondat*** (Gcodd. Ops.); ll, 16 ***intercst*** (P_3); ll, 59, 11 ***exarserit*** (sG); lll, 12, 1 *facit* (G.) Difficile autem est iudicare de loco l, 15, 7 ***sed illam iudicamus populis esse fallaciam***, quod comparet in margine codicis G. Fortasse enim haec quoque scriptura iam fuit in X, fortasse propria fuit stirpis Y et ex aliquo huius stirpis codice in eum codicem est translata, ad quem codex G correctus est.

36 d. Haec omnia considerantibus certum est L et V multo propiores esse codici omnium archetypo X et optimo stirpis Z codici E (praetermitto autem excerpta codicis Memm.), quam ceteros huius stirpis codices. Sed propter eas lectiones, quibus L et V inter se distant, aliqua differentia inter hos statuenda est, quae qualis sit, iam videamus.

37 a. Diversi sunt inter se L et V 350 locis. Ac probas lectiones L habet 95, V 240, uterque malas 15; omnino igitur malas L 255, V 110. Primum autem agamus de Vincentii lectionibus. Atque 197 locis Vinc. una cum E bonam praebet scripturam, inter quos sunt 44, ubi bona lectio non reperitur nisi in VE (ut llll, 11, 4 ***ille dicere potest***; c. 12 ***aquam vel imbrem;*** V, 10, 3 ***coniectum est***; c. 15, 4 ***lutulentam inertemque***; ll, 58, 1 ***quia celer ignis undique motus***), unus, ubi in VEcorr.: lll, 15, 4 ***corrupere***; unus, ubi in Ve: l, 4, 3 ***propiores.*** 6 bonae lectiones sunt in ea parte libri primi, quae in E desideratur. Contra E bonam lectionem V exhibet tricies semel (ut V, 8, 2 ***ei sti-***

mulos, LEG *eis stimulos*; Vl, 28,1 *multa*, LGE *multas*; Vll, 12, 4 *cometae*, LEG *cometes*), contra omnes ter: llll, 2, 1 *et tanta mensura* (cf. § 33 extr.); ib. *parte qua*; § 3 *coeuntibus*; addo duos locos, quos mihi quidem V videtur recte tradere: II, 58, 2 *incipit autem obliquum esse iter dum*; lll, 16, 3 *suus dies* (Michaelis coni.). Malas lectiones simul reperimus in V et E 26 (ut llll, 9 *calor accedit*; V, 12, 2 *in hac pugna*), quarum 18 horum duorum propriae sunt (ut llll, 3, 3 *qui humorem*; VII, 21, 2 *ille repit*), in V et e 5: llll, 12 *et* ante *plus* omissum; Vl, 1, 6 *iste* pro *ille*; Vll, 28, 1 *in* ante *calorem* om.; lll, 2, 1 *vini* pro *vim*; c. 26, 2 *contrahunt* pro *trahunt*. Atque horum quoque locorum congruentia fere referenda est ad habitum codicis X; cf. praeter illos locos, quos modo indicavi, nonnullos alios: V, 15, 4 *urgens* pro *ingens*; utrumque fortasse habuit X, illud autem locum accepit in VEFort.P_3, hoc in LBGP_4Col.cod.Ops.; VII, 8, 3 *eos causis* VE (prima m.), LE (sup. lin.) rell. *illos causis*; II, 21, 2 *nisi ex eo quod ostendit effectus*; c. 30, 4 *efficiunt* VE pro *conserunt* LBcod.Ops. Deinde in mendis V facit cum G 11 locis, cum B 13, simul cum B et G 26, cum aliis 11. Sunt autem harum lectionum pleraeque tales, ut mihi quidem videantur ab ipso Vincentio profectae esse, velut llll, 10 *recesserit*, quod est in G, haud dubie ille, ut solet modum praedicati in eiusmodi enunciatis mutare (cf §. 18 extr.) fecit ex *recessit*; llll, 9 ante *diutius servat* addidit V coniunctionem *et*; V, 8, 2 post *incipit enim* Vinc. et interpolator codicis B addiderunt *tunc*; c. 15, 2 *haec legi* pro *hoc legi*; c. 9, 3 *solis ortus* pro *sol ortus*. Simile est exemplum lll, 26, 8: LE *secunda vis*, GP_3 *sua vis*, V *propria* fecit ex *sua*, quod in codice eius, ut in GP_3, ortum erat ex compendio *sda*, i. e. *secunda*. Reliquae vero lectiones iam in codice X fuisse videntur: Vl, 1, 7 *subvertit* VBP_4 pro *submersit* E (LGFort.Col. *submergit*); c. 28, 3 VBsG *in noxium*, LE(sec. m.) *in noxam*, E(pr. m.)G *in noxiam*; I, 2, 8 *ad unam partem* VBGCol.P_3, LE *ob unam partem*; c. 3, 5 *transeuntes* VBGGr., LMemm. *euntes* (E lacunam habet.) Denique V proprias lectiones habet 17, quae partim manifeste in codice eius fuerunt, ut Vll, 1, 1 *fiant* (a Vinc. tribus locis ita scri-

ptum) § 2. *universi corporis* et *laborantes* (utrumque a Vinc. duobus locis pariter excerptum), partim fortasse Vincentii vel Speculi Nat. librariorum errores sunt, ut V, 8, 2 *aura* pro *area*, c. 9, 4 *nubilo* (E *nebulo*); Vll, 1, 4 *labantur* pro *labant?*; I, 2, 2 *discendere* pro *discedere*.

37 b. Codex L probas lectiones habet 95, inter quas contra E sunt 26, contra e 5 (cf. § 37 a. med.), unam cum Memm. (l, 3, 5 *euntes*, quo loco E lacunam habet), cum uno E 13, cum E simulque aliis reliquas. Malas lectiones exhibet solus 106, cum uno E 8, cum E et aliis 20, cum uno e 3 (Vll, 9, 3 *renituntur* pro *remittuntur*; ll, 21, 2 *concrematae*; lll, 25, 6 *decedunt* pro *descendunt*), cum G 45, quarum quinque in ea parte, qu ae in B excidit, simul cum P_4; cum B 18, simul cum B et G 50. Atque si quaerimus de qualitate mendorum, magna pars earum lectionum, quas solus L habet, efficitur erroribus librarii, ut videtur, ipsius codicis, veluti llll, 11, 4 *debere fieri* pro *d. calefieri*; c. 12 *non* ante *nimis* omissum est; V, 9, 1 *vaporatio* pro *evaporatio*; c. 10, 3 *initum* pro *initium*; c. 12, 2 *rumpit* pro *perrumpit*; § 5. *illa mom.*; c. 15, 4 *se vertit* pro *se avertit*; nonnullae fortasse transierunt in L ex eo, unde descriptus est. Reliquae interpolatori debentur, ut llll, 10 extr. *ideoque minus calescit*; c. 12. *plerisque philosophis placuit*; V, 10, 3 *extensum est* pro *coniectum est;* ib. *videtur* pro *tenditur* (Haas.: *intenditur*). Ceterum aliquot locis, ubi L habet corruptam scripturam ne G quidem vel B integram praebet. Quas lectiones L cum E communes habet, eae in codicis X habitu — id quod iam saepius dicendum fuit — positae videntur esse, ut V, 13, 2 *vi* vox, quae excidit in LEP_3 ante *locorum coeuntium*, sed servata est in BP_4GV (Vinc. eam posuit post *coeuntium*), in X supra lineam videtur fuisse. VI, 28, 1 *multas* LEG, V cum reliquis *multa*; fortasse *s* litera in X notata erat ut supervacua. ll, 18 verba *ictus inaequalis est* amissa sunt in LE et videntur in X super lineam vel in margine suppleta fuisse. — Earum denique lectionem, quae praeter L sunt in B vel G vel in utroque simul, antequam de iis iudicem, aliquot hic ponam: LG llll, 9 *effugientia* pro *fugientia*; V, 1, 1 *commovetur* pro *movetur:* c. 9, 1 *diuturnus* pro

diurnus; VI, 1, 7 *snbmergit*; c. 3, 2 *animi res fuit;* VII, 21, 2 *illo repit* pro *illa r.*; II, 13, 4 *extremo* pro *externo*; III, 25, 8 *impellitur* pro *compellitur*; c. 28, 5 *coeunt* et *quemadmodum* pro *conveniunt* et *sicut*; — LB IIII, 11, 4 *excipit* pro *excipiat*; c. 12 *aquam imbremque* pro *a. vel imbrem;* V, 15, 4 *oblitus rerum naturae;* VI, 2, 3 *metuenda* pro *timenda;* VII, 8, 1 *cursu suo;* I, 1, 5 *eius modi* pro *huius modi;* — LBG III, 11, 4 *idem potest dicere;* VI, 21, 2 *properabit* pro *properaverit*; VII, 12, 4 *debet fieri* (B *fieri debet*) pro *debet esse*; I, 5, 1 L *aiunt* addit, sed alio loco ponit atque BG; II, 10, 2 *pertenuissima* pro *tenuissima*; III, 12, 2 *et feminea* om.; ib. *nebulosus* pro *nubilosus*; c. 15, 2 *quemadmodum* pro *sicut*; c. 16, 4 *quia deest* pro *quibus deest;* c. 25, 5 *gravia sint* pro *graviora s.* Has igitur reliquasbue, quas praetermisi, malas lectiones, non est verisimile in X fuisse nec magis verisimile est casu quodam tam multas in codice L exstitisse et simul in B et G. Et quonium constat codicem B valde esse interpolatum, G ex B vel codice eiusdem notae multas lectiones accepisse, multas praeterea solum habere pravas; satis elucere videtur in codice L eas lectiones, quae ei communes sunt cum B vel G vel simul cum utroque, ortas esse ita, ut ille vel eius archetypum confunderetur cum aliquo codice, qui quasi medium locum tenebat inter B et G.

38. Quae quum ita sint, Vincentii codex videtur eiusdem fere fuisse virtutis, cuius est E, ac paulo tantum hoc deterior. Fortasse autem cuipiam parum probabitur, quod § 35. b. dixi, aliquot lectiones codicum LV et BG communes ita ortas esse, ut cuiusque stirpis aliquis librarius in eundem errorem incideret; fortasse etiam nimis multas codicum LVBG lectiones ad malam codicis X condicionem retulisse videbor. Quam offensionem ut removeamus, nihil videtur impedire, quominus L et V fluxisse censeamus non ex ipso Y, sed ex aliquo aetate minori, in quem iam quaedam vitia stirpis Z ingesta erant. Illud tamen constare videtur, codicem Vincentii paucis tantum interpolationibus vel erroribus corruptum fuisse nec multo pluribus quam E. Aliter iudicandum est de L, qui multas corruptelas accepit ex quodam interpolato stir-

pis Z codice, plures habet proprias; quamquam etiam sic pluris aestimandus est quam BG.

39. Vincentii codicem vel potius lectiones accuratius describere non possum. Nam quae supra §§ 20 et 35 c. de variis lectionibus in codice Vincentii contextui adscriptis dicta sunt, non possumus accuratius persequi, nisi forte suspicemur in hoc codice supra scriptas fuisse multas lectiones tales, qualis est *extenuaverit* pro *exercuerit* (cf. § 20 extr.), vel in contextu fuisse multas depravatas adiectis probis lectionibus (cf. reliqua exempla § 20 extr. commemorata); quod, quamquam comprobari nequit, si tamen statuamus, auctoritati earum lectionum, quas inter varias lectiones referendas esse censui quasque solas possumus in Natt. Quaestionum crisi adhibere, nihil detrahitur. Sed de L, quoniam non excerptos tantum locos continet, sed totum opus, quatenus servatum est, nonnulla adiicienda videntur. Primum autem inquiramus in lectiones primi et secundi libri, id est l. IIII. c. 3—13 et l. V. Atque 357 locis L recte discrepat a B (ut IIII, 3, 2 *auctoritatem*, B *auctorem;* c. 5, 4 *meridianae*, B *mundanae*; c. 8. *ex quatuor causis*, B *ex tribus c.*), quocum 22 locis G consentit (ut IIII, 3, 5 *tam* om.); is autem 17 locis item pravam habet lectionem, sed aliam atque B (ut IIII, 4, 5 L recte *aequabiliter*, B *aequabitur*, G *aequaliter.*) Multas praeterea G lectiones habet proprias, quarum magna pars correcta est; has autem non opus visum est numerare. Illis 357 locis L exceptis quinque, ubi E mendosus est (IIII, 13, 10 *demittunt*; V, 3, 2 *coniestisque*, i. e. *congestisque*, c. 6 *sol causa*, c. 12, 2 *vi ac pugna*; c. 18, 1 *externis*), congruit cum E, atque 14 locis cum uno E, (ut IIII, 3, 6 *quare non et ego mihi idem*). Deinde praeter illos quinque modo indicatos 29 locis L genuinam lectionem servavit, E corruptam; atque solus E habet 17 malas lectiones, quarum maxima pars haud dubie libraii huius codicis ipsius errori debetur; cf. IIII, 4, 1 *os perscidi;* c. 5. extr. *plurima futura erat;* c. 8 *proxima quoque.* Concordat autem L cum E etiam in corruptelis 24 (ut IIII, 3, 5 *ita ne longius;* V, 1, 4 *aliquo loco fertur*), quarum 11 praeter LE in codicibus non reperiuntur, duas etiam B habet; cum e quoque L male consentit bis (IIII,

13, 2 *nil iudicas;* V, 18, 2 *deducunt*), cum Memm. V, 14, 4 *astrictu* pro *adfrictu*, cum codd. Ops P_4 V, 18, 7 *horridas noctes.* Atque has lectiones verisimile est iam in X fuisse. Menda vero contra E codex L cum B communia habet 82, quorum 54 simul sunt in G (ut LB IIII, 3, 3 *scire poteris*; c. 6, 1 *ineptias nostrorum omnes;* V, 15, 4 *oblitus rerum naturae;* LBG IIII, 3, 4 *exculpit*; c. 13, 1 *iubes mentem cum*; V, 1, 1 *impetum capiat* pro *i. faciat*). Praeterea codicis L archetypum similem fuisse codici B tres loci demonstrant, ubi L prima manu habet codicis B lectionem: V, 11, 1 *non* ante *adiuvent* excidit in B, in L ante lineam additum est; 13, 3 *macedonem* in L correctum est ex *macedones*, quod est in B; 17, 2 L *secrevit* cum B, super *-crevit* scriptum est ł *cernit.* Item c. 8, 3 *processit* in L correctum est ex *praecessit*, quod est in BG. Et fortasse c. 18, 2 in L rasura, quae est inter *Idem* et *totam indiam*, ubi BG et alii inserunt *per*, haec vox deletaest. — Cum G et aliis praeter EB pravas scripturas L communes habet 9 (ut llll, 4, 1 *dicam* om.; V, 7, 1 *num iterum*), cum solo G 30 (ut llll, 3, 1 *qui audisse quidem se negant*; V, 1, 1 *commovetur*). Similitudo autem archetyporum utriusque codicis, G et L, ex duobus locis manifesta est: llll, 13, 6 LG *quicquid animi decoxerat*, sed in G *animi dec.* recte correctum est in *avide coxerat*; ib. § 10 GL *frustra*, in L recte correctum in *frusta.* Similior autem, quam codici G, codex L esse videtur ei, ad quem ille inter lineas et in margine correctus est. Hae enim correcturae, ubi L et G diversas lectiones habent, saepissime congruunt cum L nec paucis locis cum nullo praeterea alio, ut LsG: llll, 3, 2 *promittet;* c. 11, 5 *valtis;* V, 5, 1 *quod ergo?* c. 11, 2 *deposita* pro *despoliata*; c. 14, 3 *obstantiam*; LmG: llll, 13, 10 *vinatis potionibus;* V, 10, 1 *plenis velis*; LG(s. m.): llll, 13, 2 *emant;* V, 15, 4: *alteram perpetuamque.* Ceterum L non in omnibus partibus aeque vel bonus est vel corruptus; in primo quidem libro multo pluries, quam in ceteris, cum E integram scripturam servavit.

40. Quoniam igitur vidimus codicem L cum E pluribus locis concordare quam G, pluribus quam L codicem G cum B; non raro L cum B corruptam lecti-

onem exhibere, ubi G veram; denique multas interpolationes simul esse in L et in B et G, qui corruptelas permultas accepit a B; multas codicibus L et G esse communes: idem hac quaestione de solo codice L instituta consecuti sumus, quod § 37 b extr. dixi: codicem L vel eius archetypum confusum esse cum aliquo codice, qui quasi medium locum tenebat inter B et G.

41. Itaque pretium codicis L non est tantum, quantum esse licuit suspicari ex eo, quod una cum V alius stirpis est atque reliqui. Imminuitur autem eius virtus hac quoque re, quod praeter eas lectiones, quas apparet in eum ex alio codice translatas esse, magnum numerum habet propriarum lectionum, ex quibus paucas pro veris commendaverim. Commemorandum est autem maximam illarum partem esse calami errores, quos librarius aut ex archetypo transscripsit, aut corrigendos esse non animadvertit (ut IIII, 8 *bis sen* pro *b. sentiunt*) aut oblitus est corrigere, quamquam, quod ex certis indiciis manifestum est, corructurus fuerat. Cf. V, 8, 3 *illis fluere* omisso *datur*, sed post *fluere* est signum =, quo indicatur hoc loco librarium, vocem omissam fuisse suppleturum, hoc autem in margine ab eo iam factum fuisse docet rasura, quae in margine apud hunc locum cernitur; c. 9, 1 *anni qui* om. *neque;* c. 12, 4 *in* ante *procellis* om.; reliqua huius generis exempla 22, quae mihi obiter quaerenti occurrerunt, praetermitto. Alia vitia orta sunt inter ipsum corrigendum; per negligentiam enim corrigentis librarii non raro exciderunt voces vel literae rasura, qua error aliqui delebatur, nec suppletae sunt, ut V, 16, 2 *pugna,* quod Michaelis secutus L recte expungere sibi visus est, in L excidit, voces antecedentes *in illa* in rasura scripta sunt; c. 18, 16 *dandus* in rasura est, quod autem sequi debebat, *est*, excidit. Deinde librarius saepius vocem, quam omiserat, falso loco supplevit, quamquam eum locum, ubi illa supplenda erat, signo recte indicaverat; sic VI, 20, 6 *fortasse* super lineam suppletum est inter *aliqua* et *parte*, ponendum autem fuisse ante *aliqua* reliquiae signi indicant, quae agnoscuntur ante hanc vocem. Multis igitur locis librarium errasse in aperto est, aliis veri-

simile. Reliqua vero menda ab interpolatore aliquo effecta sunt. Ac pauca tantum exempla attulisse satis erit: IIII, 13, 5 sup. lin. post *cruditatibus* additum est *perustus*; c. 12, 1 *plerisque philosophis* in rasura; c. 7, 2 *fructus vel tunc excantasset*; V, 2, 2 *alia aliis cedant*; c. 3, 2 *tanta collisio* pro *multa caligo*; c. 9, 2 *aestate aeque profunditur;* c. 17, 5 verba *non est illis . . . impetus* transposita sunt ante *Quidam sunt quorundam;* VII, 25, 5 *quaestioni addes* pro *quae stationes.* Cf. hoc loco, quae §§ 7 sqq. dixi. Restat, ut commemorem codicem L praeter defectum singularum aliquot vocum non laborare pluribus vel amplioribus lacunis quam ceteri. Duobus enim locis L lacunas habet easdem, quas E: II, 12, 1 *ista iaculatio cum ictu* om.; ib. c. 18 *ictus inaequalis est*; praeterea reperi quinque locos plurium pauciorumve vocum defectu deformatos: VI, 6, 3 *semper moveretur . . . tota concuteretur;* II, 6, 6 *quod teneret illa . . . quid est aliud*; c. 12, 1 *quae una facta* (sed sedes horum verborum vacua mansit); c. 17 *sed si in aquam . . . extinguitur;* III, 25, 3 *amnis est ad quem.* Atque tribus horum locorum quum eadem vox post pauca verba repeteretur, librarius a priore ad posteriorem aberravit: VI, 6, 3; II, 6, 6; c. 17. Quum autem vitia codicis L nec tam gravia sint nec tam multa quam codicum BG, ille, quamquam longe recedit a pretio codicis E, tamen multo pluris faciendus est, quam hi, et secundum ei locum tribuo.

42. Nunc huic primae disputationis meae parti finem impositurus, quid codice Leidensi et Vincentii lectionibus in redintegrandis Naturalibus Quaestionibus effici posse videatur, breviter complectar. Atque codicem Leidensem Michaelis pluris aestimavit, quam iustum est, deceptus, credo, bonis scripturis, quas in primo libro ille praebet. [10]) Neque Vincentii lectionum, quamquam codex eius multo praestitit Leidensi, egregia est utilitas, quoniam multis locis auxilio eius uti non licet, iis autem lectionibus, quibus differt a codi-

[10]) Et in hoc libro et in reliquis permultae lectiones, quas E cum uno L exhibet, iam ab Haasio ex solo E restitutae sunt (cf. Michael. in Philol. VIII, pg. 445 sub fin.).

cibus, qui supersunt, magnopere est diffidendum. In utroque autem ad operam criticam adhibendo hae leges sequendae sunt:

1) Quibus lectionibus L et V congruunt cum E (vel Memm.), hae fuerunt in codice omnium archetypo X et antquissimae fere sunt habendae; quae si apta non sunt, ab iis potissimum proficiscendum est in quaerenda genuina lectione.

2) Ubi L et V differunt ab E, inquirendum est, utra lectio aptior sit ad sententiam magisque respondeat Senecae dicendi usui.

3) Vincentii testimonio, ubi eius lectio facit cum E, fere plus tribuendum est, quam codici L differenti.

4) Ubi Vincentius non congruit cum E, minor eius fides est; ubi solus aliquam lectionem praebet, haec respicienda est tantum locis depravatis vel talibus, qui habeant offensionem.

5) Iis locis, quos Vincentius non excerpsit, codex L consentiens cum E (vel Memm.) idem efficit, quod supra eum una cum V efficere dixi.

6) Si L diversus est ab E et congruit cum B vel G, eadem ei, quae his, habenda est fides; lectiones codicis L propriae plerumque manifesta sunt vel menda vel interpolationes; iis vero locis, qui habent dubitationem, fieri potest, ut genuinam scripturam servaverit, ideoque respiciendus est.

7. Scripturae codicis L corrigendo factae, sive additae sunt ut variae lectiones apposita nota, quae est ł, sive in rasura comparent vel inter lineas sunt correctae vel suppletae, non sunt negligendae; nam illae videntur omnes, hae maxima ex parte vetustiores esse, quam codex L. Sed cautio est adhibenda, ne interpolationes nobis pro veris imponant.

(Reliqua alio loco edentur.)

BRUNO LARISCH DE VITA SUA.

Natus sum d. VIII. mensis Augusti a. h. s. XXXXI. Turawae, in pago regionis Oppoliensis, patre Andrea, matre Augusta e gente Gottwald; quos mihi parentes optimos Deus O. M. in beatam ut conservet senectutem, summopere opto. Fidem profiteor catholicam. Literarum primordiis institutus gymnasium regium Oppoliense adii eximie florens illud Augusti Stinneri auspiciis, cuius omnes ordines legitimo tempore percurri. Cordi autem mihi est praedicare hoc loco magnam directoris benignitatem, qua me semper prosecutus est, nec minus Joannis Ochmanni, ordinum super. magistri, erga me merita, qui etiam in domesticam consuetudinem suavissimam utilissimamque me admisit.

Testimonium maturitatis rite consecutus autumno a. h. s. $\overline{\text{LVIIII}}$. hanc almam universitatem Viadrinam petii philologiae operam navaturus civibusque academiae adscriptus sum. Sed studia mea paene interrupta sunt per duo semestria, $\overline{\text{IIII}}$ et $\overline{\text{V}}$, quae ex legibus nostrae rei publicae militavi. Deinde vero redii ad literas et initio mensis Junii a. $\overline{\text{LXII}}$ inter sodales regii seminarii philologici receptus sum, cuius exercita-

tionibus magna cum utilitate mea plus quam tria semestria interfui. Nec tamen tempore, quod secutum est, multum studiis meis otii concessum fuit; nam ab auctumno a. LXIII ter sex menses pueri literis instruendi munere functus sum. Et sic civis academicus fui sex annos, per quos interfui scholis virorum ill. Bernaysii, Branissii, Elvenichii, Haasii, Hertzii, Junkmanni, Luebberti, Roepellii, Rossbachii, Westphalii.

His viris quid debeam, ea, qua par est, mente semper recordabor. Juvat autem data hac occasione in primis gratum animum profiteri et obstrictum viris ill. Junkmanno, philos. ordinis h. t. decano spectabili, Hertzio, Luebberto. Maxime vero colendus mihi pie est Haasius, praeceptor benignissimus. Hic enim, ex quo primum eum adii, adolescens ei plane ignotus, numquam aut consilio aut opera mihi defuit et per duos annos et dimidium me inter eos iussit esse, quibus familiarius uti solet; hic etiam adiutor mihi exstitit operae in Seneca ponendae occasionemque a praefectis bibliothecae Leidensis liberalitate excellentibus praebitam mihi subministravit codicem Natt. Quaestionum Vossianum excutiendi. Quare si hunc qualemcunque studiorum criticorum fructum offero illi viro de me egregie merito, voluntati meae parum respondens debitae venerationis testimonium praebeo.

Theses.

I. Linguae Latinae usus in academiis non est antiquandus.

II. Historiae praecipua adiutrix est philologia.

III. C. Sallustii Crispi mores non magis reprehendendi sunt, quam plerorumque virorum illo tempore excellentium.

IIII. Cretensium *μνωῖται* servi rei publicae fuisse videntur.

V. Post bellum sociale apud Romanos tribuum numerus auctus non est.

VI. Sen. Natt. Qu. VI, 14, 2 scribendum est: „neque enim in nobis febris a l i q u a s partes mordacius impellit" eqs.

VII. Ib. IIII, 3, 5 scribendum censeo: „ita n e c longius illi per aëra, sed ex proximo lapsus est." Codd. LEe exhibent „n e l." Cf. commentat. meae p. I, § 42, reg. 5 et 1.

VIII. Praeter epica et tragica Graecorum carmina etiam l y r i c o r u m poetarum selecta specimina in gymnasiis legenda sunt.